



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Veteris Hominis Per Expensa Quatuor Novissima Metamorphosis, Et Novi Genesis

Stanyhurst, Guillaume

Coloniae, Anno 1702

VD18 1237699X

Prooemium, De Extremo Judicio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51849)



Ite Venite, ex ore Iudicis. Mors est mali, vita boni hominis.

PROOEMIUM

DE EXTREMO JUDICIO.

Nihil est ad salutem homini utilius communi omnium Sapientum iudicio, quam crebrò sibi proponere, extremum Dei in justos & improbos Judicium. Quantus ex tam uberi argumento, sperari & possit, & verò debeat fructus, paucis verbis innuit S. Augustinus. (a) Nihil est utilius populis quam loqui de temporibus futuris. Imò S. Chrysostomus adeò hoc argumentum vult inculcari, ut dicat: Singulis diebus, & horis oportet ante oculos nostros proponere Dei Judicium. Consentit cum illo D. Gregorius: [b] Præsentis temporis ita agenda est lætitia, ut nunquã amaritudo sequentis Judicii recedat à memoria. Augustinus vult nos loqui, & cogitare de Judicio Dei, sæpè; Chrysostomus, singulis diebus & horis; Gregorius, semper. Ubi tanta est tantorum

vires

a Epis. ad Exstim. Hom. 4. in Gen.

b Hom. 32.

virorum, qui hoc argumentum commenda-
 dant auctoritas, qua inde non speranda
 utilitas? Sed si non satis permoveat hu-
 mana, accedat & divina auctoritas.
 Christus celo jam insertus, volebat to-
 tum innovari mundum, ubique gen-
 tium, ubique terrarum promulgari E-
 vangelicam doctrinam, destrui idola,
 everti inanum Deorum aras, confrin-
 gi illorum simulachra, refutari vanam
 Philosophorum doctrinam, adduci gen-
 tiles omnes ad novam & peregrinam re-
 ligionem; moveri omnes ut humilita-
 tem, castitatem, paupertatem reje-
 ctis opibus, honoribus, gloria, ample-
 terentur: ut omnes accurrerent meri-
 turi sub signo Crucis; quod Judaeis erat
 scandalum, Gentibus stultitia, om-
 nibus maledictum. Res magna. Quis
 perficiet? Pusillus grex. duodecim Pi-
 scatores. Recte. Sed quomodo ea mun-
 do persuadebunt? Quid dicent coram
 Oratoribus, Philosophis, Judicibus, Re-
 gibus, Tyrannis? Quibus argumentis
 confundent eorum sapientiam? Qui-
 bus rationibus confirmabunt suam
 quam

PROOEMIUM. 71

quam prædicant religionem? Quibus
 simulis excitabunt eorum socordiam?
 Quibus facibus inflammabunt ignavi-
 am? Quibus præfidiis flectent contuma-
 ciam? Extollent illis Virtutis pulchri-
 tudinem? Sed Virtus illis nec de facie
 nota est: Proponent vitiorum turpitudi-
 nem? Sed nil est ulli turpe, quod om-
 nibus est commune: quidquid est illici-
 tum, apud illos est publicum. Forsan
 allicientur cæli gloria? Imò dicent,
 cælum cæli Domino. Horrebunt fors
 proposito Inferorum supplicio? Sed ne
 quidem an Inferi sint, sciunt: & si sci-
 unt, contemnunt. Tu ergo ô Christe,
 qui concionandi imponis præceptum,
 isdem concionandi præbe argumen-
 tum. Præbuit, & quid præbuerit,
 audite: & non aliud fuisse invenietis,
 quam hoc ipsum quod tractamus. Sta-
 bat primus Apostolorum Petrus in ce-
 lebri Gentilium corona, quibus ait
 (verba sunt D. Lucae in actis Apostolo-
 rum) [a] Ipse præcepit nobis prædi-
 care populo, & testificari, quia ipse
 est, qui constitutus est à Deo Judex

Act. c. 10.

vivo-

vivorum, mortuorum. Nullum Ipsa
 æterna Sapiencia judicabit esse argu-
 mentum, quod haberet plus vel roboris
 ad persuadendum, vel terroris ad per-
 cellendum, vel virtutis ad totum mun-
 dum innovandum, quàm quod omnibus
 instabat Judicium. Expertus hoc ipsum
 fuit is qui à Divo Chrysostomo vocatur
 argentea Spiritus S. Tuba, magnus ille
 Evangelicæ doctrinæ buccinator Div.
 Paulus. Stabat, ut reum decebat, Pau-
 lus abjectus, & humilis pro tribunali,
 in quo sedebat cum fastu Judex, Felix
 nomine? affidebant in subselliis, qui Pau-
 lum accusabant Judæi. Cepit Paulus
 summa cum gravitate, atque facundia
 disserere de Justitia, castitate, fide Chri-
 sti, ac tandem de futuro olim Judicio,
 perorare. Quo successu? Qui vix potuis-
 set sperari. Cum de Judicio disserteret
 Paulus, repente felix qui considebat in
 solio Judex, ac si ipse fuisset jam reus,
 cepit mutare colorē, toto pallebat vultu,
 immutata est facies ejus, erecti steterē
 capilli, cohorruit animo, tremuit corpore,
 genua ad se invicem collidebantur, &
 Actor. cap. 20. jam

jam prope exanimis omnibus artubus
trepidabat: quasi non audiret loquentem
de Judicio, sed ipse jam staret judican-
dus. Quae cuncta paucis his verbis ex-
pressit D. Lucas. Disputante autem illo
(nimirum Paulo) [a] de Justitia & ca-
stitate, & de Judicio futuro, tremefa-
ctus Felix, respondit. Quod nunc atti-
net, vade; tempore autem opportuno
accerfam te. Quod si ita tremuerit
Ethnicus, quid ni sperem à te lector Ca-
tholice, hoc tragico argumento injicien-
dum timorem Domini, qui est Initium
Sapientiae, hoc est, principium Gratiae.

CAPUT I.

Evigilat homo vetus sonitu tubae sepul-
chralis, citantis eum ad Ju-
dicium.

NULLA re vel citius, vel facilius ex-
citabitur è suo, quo sopitus est ve-
terno, homo vetus, dum obstrictus
est lethali noxa, quam si ejus auribus
insonet ultima mundi tuba. Perce-
perat

2 Act. 24. 25.

perat illius tubæ clangorem auro
 propheticâ Sophonias, ideo diem
 Judicii, [a] *Diem tubæ & clangoris*
 appellavit. Quod & Christus con-
 firmat juxta ac Paulus: Christus in
 verbis: [b] *Et mittet Angelos suos*
cum tuba & voce magna. D. Paulus
 [c] *In momento, in ictu oculi, in no-*
vissima tuba, canet enim tuba, &
mortui resurgent incorrupti. De hac
 tuba loquitur D. Gregorius: [d] *Vox*
tubæ terribilis, cui omnia obediunt
elementa, quæ petras scindit, inferos
aperit, portas areas frangit, vincula
mortuorum dirumpit. Dubitatur an
 unica tantum, an plures inflandæ sint
 tubæ, cum dicat Christus: *Mittet*
Angelos suos cum tuba: Si mittendi
 sint plures Angeli, plures inflandæ
 videntur tubæ. D. Chrysoſtomus,
 Anſelmus & alii cenſent, plures mit-
 tendos Angelos, & ſingulos cum ſuis
 tubis. Sunt qui exiſtimant Archan-
 gelos ſingulos, qui fuerunt tutelares

Præ-

a *Soph. c. 1. 16.* b *Matt. 24. 31.*c *1. Cor. 15. 52.* d *1. ad Corinth.*

Præsides Provinciarum, in singulis, quas custodierint Provinciis, tubam inflaturos. Itaque per totum Belgium tubam inflabit Archangelus custos Belgii, alii per suas Provincias. Hic porrò tubarum strepitus, paululùm ante Resurrectionem incipiet, & audietur à mortuis, vi & ope animarum, quæ sonos sentiunt, & colores, non secus atque Angeli, & offerent se corporibus suis, quæ eodem temporis puncto instaurabuntur, & suis restituentur animabus, simulque perstreptentium tubarum fragores exaudient. Præter tubam, putant aliqui, adhuc edendam sonoram per orbem universum vocem à tubæ sonitu distinctam: [a] cùm dicat D. Paulus: *Ipsè Dominus in jussu, in voce Archangeli, in tuba Dei.* Putant ergò aliqui immensam quandam, & latè resonantem vocem, & articulatam efformandam, videlicet illam Ecclesiæ familiarem: *Surgite mortui, & venite ad Judicium.* Hæc

E 2

VOX

• Thess. 1. 15.

vox & tuba talem edet fonitum, qualis ab initio mundi usque ad illam horam non fuit auditus. Erit fragor, qui obstupescendo murmure per montes & valles, per aspera saxorum, ad plana camporum, per silvas & tesqua, per pagos & oppida, per terras omnes, mariaque omnia latè remugiet, ac rauco boatu personabit. Hic ipsæ tubæ clangentis sonus ad summa usque cœlorum pervadet, ut inde deducat beatas omnes illas animas, quæ post redivivum Salvatorem ad eam usque horam admiffæ fuerunt in cœlum, ut antiquum cum corporibus suis connubium meliore conditione redintegrent. Idem illud tonitru totis illis Inferorum cavernis reboabit, abducatque omnes reproborum animas, quæ ab ortu rerum ad illud tempus illuc descenderunt. Illa tuba sepulchra omnia aperiet, & deposita corpora, ab omnibus elementis integra atque inviolata reposcet. Verè dici potest illa dies belli, & stragis, & sanguinis, dies, quæ toti orbi rupta
pace,

pace, sed præcipuè improbis, bellum
 æternum indicet. Atque adeo in hu-
 jusce rei signum tubæ per sepulchra
 regionum perstreperent, & clangorem
 bellicum edent, adeò horribilem, ut
 ad imos^{usque} antipodes audiendus
 fit, & ad illius auditum, quidquid hic
 in terris prosternendum. Quale erit
 spectaculum ad primum hujus tubæ
 sonitum, non ut olim tantum muros
 Jerochontinos, sed pyramydes excel-
 lentissimas concidere, montes altissi-
 mos tremere, inferorum claustra re-
 serari, mortuos sepulchretis egredi,
 ac totum mundum timore concuti?
 Tunc verum erit illud paradoxum:
*Veniet tempus, quo damnati nolent egre-
 di ex inferno, & beati nolent manere
 in cælo.* Damnati nolent egredi ex
 Inferno, partim ne videant faciem ful-
 minatricem Judicis, partim ne sub-
 eant probrum publicum condemna-
 tionis, partim ne cogantur assumere
 corpora, quibus præter animæ pœnas,
 novas alias luant, adeoque duplices.
 Beati contra optabunt egredi ex cœ-

lo, tum ut oculis suis aspiciant Judicem, & auribus percipiant illam optatissimam & expectatissimam sententiam, venite Benedicti; tum ut corpori suo jam glorioso uniantur: utinam tuba illa terribilis insonaret auribus nostris, dum jacemus molliter inter cygneas plumas, & nescio quas vel læva mente cogitationes volvimus, vel levi corde desideria concipimus. Utinam in mediis conviviiis, dum toto mento & mente sumus effusi in cupedias, & patinas, & struices, & calices, & cantharos, iterum streperet illa tuba. Si velis lætis auribus excipere illam formidandam, quam tum in die tribulationis inflabit tubam Divina Justitia, audi tubam illam Jubilæi, quam nunc in die salutis inflat Divina Misericordia. Quoties dum solus in cubiculo lectitas pium codicem, dum in sacro tribunali errata sacerdoti exponis, dum mensæ accumbis Eucharisticæ, dum verbum Dei è cathedra audis, Divini Spiritus instinctu, afflatuque

tuque cœlesti, percipis insonantem
animo illam Misericordiæ tubam:

[a] *Hora est jam nos de somno surgere,*

Nunquam Deus aliquem gravius ca-
stigmat, vel etiam subito mori permit-
tit, quin Misericordiæ suæ tubam, quæ
officii eum moneat, & ad resipiscen-
dum moveat, præmittat. Ideo tam se-
rò monet David:

[b] *Hodie si vocem
ejus audieritis, nolite obdurare corda
vestra.* Non dicit si audieritis in Pa-
schate, quo lex jubet quemque Sacra-
mento expiatorio animum purgare,

si post annum, si post mensem, ne qui-
dem si cras. Sed *hodie si vocem ejus au-
dieritis*, id est tubam invitantis Mife-
ricordiæ ad gratiam, ad vitam, ad per-
fectionem, ad salutem: *Nolite obdurare
corda, nec obturare aures.* Plerumque

enim caro constat hic esse surdum. Id
olim expertus est maximo suo dam-
no, utpote animæ suæ exirio, nobilis
quidam de quo commemorat S. Bo-
naventura in vita S. Francisci. Hic ut
erat vir gnauiter impius, lethali cor-

E 4

reptus

a Rom. 12. 11. b Psal. 94. 8.

reptus est morbo, quocum infestaretur, unicum sibi delegit in illa necessitate perfugium, D. Franciscum, qui fortè in eadem commorabatur civitate. Franciscus paucis ad Deum fufis precibus, homini morbido restituit valetudinem: quem incolumem seriò admonuit, ut seriò resipisceret, ad frugem rediret, ne quæ ei reddita erat salus corporis, esset interitus animæ. Promisit; sed promissi, simul & Dei, & à Deo obtenti immemor beneficii, rediit canis ad vomitum, sus ad volutabrum, revolvitur ad pristina scelera. Sed non gratis fuit Deo ingratus. Nam cum nocte quadam in plumeo jaceret, & quiesceret strato, nescio quo infortunio, indubiè Divino consilio, tectum domûs corruit, eumque somno, vitiisque sepultum improvise obrivit, nec prius oculos aperuit, quàm ubi se è plumis reperit in flammis, è lecto in orco.

OBSERVATIO MORALIS.

Alia erit vox Dei ultimo mundi die, alia est modò, cùm est dies salutis.

Tunc

Tunc erit tempus belli, nunc est tempus pacis. Tunc vox Dei erit tuba, nunc est aura, tunc erit tubæ sonitus, nunc est auræ sibilus, tunc erit sonitus terribilis, jam sibilus tenuis; Sic eum percepit Elias, (a) *Post ignem sibilus auræ tenuis.* Ne tunc horreas tubæ sonitum, nunc audi auræ sibilum. Quælibet inspiratio Sancti Spiritus, est cælestis auræ sibilus: si percipias hunc ex alto sibilum, erit ad animi jubilum, quia erit pro animo Jubilæum. Hic sibilus est vox Misericordiæ, quæ nunc loquitur minaciter, ut timeas, nunc suaviter ut diligas, nunc fortiter ut doleas, nunc hilariter ut gaudeas. Insonat variis locis, Salomoni in lecto, Saulo in campo, dicens Saule, Saule; Augustino in horto, cum audiret: Tolle, tolle; Francisco in templo, Huberto in sylva. Cave ad eam vocem sis surdus, quia sæpe ab illa dependet tua salus. Non percepisse hunc tenuis auræ sibilum, fuit multis ad exitium.

E 5

CA-

a 3. Reg. 19. 12.

CAPUT II.

Post tubæ sonitum sequitur Resurrectio corporum.

TUbâ ubique & per omnia cœlorum, terrarum, inferorum spatia resonante, mortui tanquam ab altissimo somno excitati, è tumultis patefactis resurgent, & celerrimè ad locum Judicii transferentur. Sed quanto discrimine resurgent electorum & improborum corpora! Petit S. Paulus: [a] *Quomodo resurgent mortui? Quali autem corpore venient?* Idemne erit corpus divitis Epulonis & Lazari? Caini & Abelis? Judæ Apostoli & Judæ proditoris? De discrimine itaque corporum, quibus omnes in magno illo theatro comparebunt, erit nobis sermo, 1. Contemplemur electorum, deinde reproborum corpora. Panduntur omnia in Ægyptiaca solitudine sepulchreta, ex quibus prodeunt illi ætate venerabiles, à canitie olim suspiciendi viri, Pauli, Antonii, Hilariones,

2 1. Cor. 15. 35.

DE JUDICIO.

83

riones, Pachomii, Paphnutii. Aspice nunc illa corpora, in recessu olim solitudinis macerata, sole torrida, aqua & paucis dactylis pasta, jejuniis enecta, insomniis exanguia, exasperata ciliciis, verberibus lacera: quæ tesqua & sylvas, quæ specus & antra incoluerunt, verpibus & spinis prope insulpta. Nulla jam apparet in genis macies, nullus in vultu pallor, nullæ in oculis lachrymæ, nullus in pectore livor. Ubi jam saxum tuum Hieronyme, quo pectus percutiebas? Ubi ð Paule vestis tua è palmis contexta? Ubi ð Joannes zona illa tua pilosa & hispida? Ubi tuum ð Hilarion cilicium? Quanta in fronte serenitas, qualis in oculis fulgor, quæ in genis venustas, quam insignis in omnibus membris decor! Fulgent jam illa corpora quatuor exquisitissimis dotibus nobilitata, nimirum claritatis, agilitatis, subtilitatis. Quodlibet ergo corpus electi immenso splendore coruscabit, asserente Christo, fore, ut [a] *Justi fulgeant*

E 6

fulgeant

a *Matth. 13. 43.*

fulgeant sicut Sol in regno Patris eorum. Mirabilis quoque erit eorundem corporum agilitas, ut huc illucque se pro arbitrio transferant, nulla gravitate tardante, adeo ut Sapiens Justos comparet scintillis, quæ vento agitante omnem in partem feruntur. (a) *Tanquam scintilla in arundineto discurrent.* Insigni quoque subtilitate prædita erunt illa corpora, adeo ut alia corpora facile penetrare possint. Sicut corpus Servatoris beatæ vitæ redditum, ingentem illum lapidem, quo sepulchrum tegebatur, sine ulla scissione penetravit in mortem spiritus, qui carcerum muris, portisque retineri non potest. Deinde nulli perpeffioni obnoxia erunt hæc corpora. Quatuor has corporis gloriosi dotes colligunt Theologi ex illis verbis Pauli: (b) *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* Ecce dotem impatibilitatis. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Ecce claritatis. *Seminatur in infirmitate, surget*

a Sap. 11. b Cor. 15. 44.

*surget in virtute: Ecce agilitatis. Seminatur corpus: animale, surget spirituale: Ecce subtilitatis dotem. Sed interim dum nos verbis exornamus beatorum corpora, ecce tibi summa pernecitate Animæ electorum è cœlo ad suos tumulos, inde ad corpora advolant. Deus immortalis, qualis hic erit occurfus, iude animæ in cœlo, hinc corporis è tumulo? quàm lætis oculis corpus aspiciet beatam suam animam! quales erunt animæ & corpori dialogi, quàm suavia colloquia, quàm dulcia oscula, quàm amabiles amplexus! audite panegyricam, quam tunc anima ad corpus habebit orationem. Occurret anima dicens carni: Eja Soror & Sponsa carissima salve: (a) *Jam hyems transit, imber abiit & recessit, surge anima mea, & veni.* Implevit Deus desiderium nostrum: ô carissimum corpus, ubi hæctenus delituiſti? Ubi per tot sæcula domicilium habuisti? Deus bone, tune in obscura & fœcu-*

E 7

lenta

a Cant. 2.

lenta sepulchri caverna , in cineres
& pulveres redactum , in cadaverosa
ossium congerie jacuisti : & ego pa-
radisum huc usque incolui ? Hoccine
operum tuorum præmium ? Hæc-
cine sudorum & laborum tuorum
merces ? Alia te manet mecum re-
muneratio. Tu comes itinerum &
laborum meorum fuisti , tu mecum
injurias & contumelias propter Chri-
stum pertulisti ; tu jejuniorum & vi-
giliarum laborem , tu crucem pœni-
tentiaë , tu victus difficultatem , tu re-
rum omnium inopiam mecum susti-
nuisti ? Quoties ori tuo panem sub-
traxisti , ut Christum in paupere ale-
res. Quoties vestem , ut pauperem ve-
stires , tibi ipsi detraxisti ? Quoties re-
nunciasti possessionibus tuis & opi-
bus , & juri tuo , ne pacem cum pro-
ximo non haberes ? Æquum igitur
est , ut quæ mecum in lacrymis semi-
nasti , mecum etiam in exultatione
metas ; & ut quæ fueras pœnitentiaë ,
jam comes sis & gloriaë. Exsurge
igitur de pulvere & conjungere mihi,

me-

mecumque ad percipiendum laborum tuorum præmium veni : Pergamus læti, atque alacres ad Judicis dexteram cum cæteris ; nam hodie æternam cœli gloriam nullo tempore finiendam ambo percepturi sumus. Tunc igitur animus carnem , & caro animum dulcissimè amplectentur , & felicissimo ac indissolubili nexu conjungentur , & in ictu oculi corpus quatuor illis gloriosis dotibus nobilitabitur. Tunc dicet spiritus carni: [a] *Ecce tu pulchra es amica mea , ecce tu pulchra es* : Et respondebit caro spiritui : *Ecce tu pulcher es dilecte mi , & decorus*. Sic ergo unà unientur corpus & anima , caro & spiritus.

VI. Sed modò ab electis ad improbos , & eorum corpora oculos convertamus. O quam erunt disparis conditionis corpora reproborum ! illa pro illustri splendore , tenebrosa obscuritate induentur , quæ congruat tum tenebroso illi carceri, ex-

ter-

a Can. 2.

ternisque tenebris , in quas projiciendi sunt , tum internis tenebris, in quibus vixere , æternumque vivent. Et sicut splendor beatorum corporum comitem habebit admirabilem quandam pulchritudinem, ita istorum corpora odiosissimam fæditatem. Eadem corpora prægravia erunt, ea præsertim, quæ pigritia à suo officio ritè fungendo abduxit. Etsi autem immortalia erunt corpora & indissolubilia, (nullius enim erit aut bonis aut malis ultra morti locus) erunt tamen mirum in modum patibilia! nec ullo membro carebunt, ut. quoniam membris omnibus peccato servierunt, membris omnibus patiantur. Nullo morbo laborabunt, quo ulla in parte corporis morsus doloris hebescat, aut retundatur, sed ubique potius acerrimè atque acerbissimè sentiatur. O infelix, qui unius dentis dolorem ferre non potes, quid factururus es, si in illo perditorum numero censearis, quibus post acceptam

à Deo maledictionem, omnes dentes, omnia ossa, omnes venæ, nervi, arteriæ, omnes pedum, manuumque digiti, omnia viscera, omnia intestina dolebunt. Erunt ergo omnia illa corpora tanquam fœdissima monstra squallida, lurida, nigra, gravia, fœtida, graveolentia. Sed videamus quo pacto illa resurgent. Aperitur in Babylone marmoreum mausoleum, indeque egreditur Alexander olim Magnus, jam minimus, illo erecto collo Bucephalum, coronam, ac sceptrum postulat: sed mox dimittit supercilium ac cristas, & mæsto vultu terram intuetur. Surgit in Græcia Xerxes, circumspicit ubi sint equitum turmæ, peditum cohortes. Videt se solum. Surgit in Italia Tullius, pulpitem flagitat, rostra quærit; sed mox confusus fileet. Prodit dives Epulo, quærit mensam, & byssum, ac purpuram: videt se iis destitutum. Egreditur è tumba impia Jesabel: requirit speculum, calami-stros, fucos, strophium, & nusquam

quam videt. Surgit hic Cæsar sine
~~diademate~~, Rex sine corona, Prin-
 cept sine purpura, Senator sine toga,
 Miles sine fago, Philosophus sine
 pallio, Eques sine ocreis, Episcopus
 sine mytra, Abbas sine Peto, Sacer-
 dos sine casula: omnes nudi. Dum
 ita stant super tumulos illa maledi-
 cta cadavera, illa inauspicata cor-
 pora, ecce tibi è centro terræ, ex ca-
 liginoso Inferorum spelæo emergunt
 æquè maledictæ Animæ, quæ ubi
 venient in conspectum suorum cor-
 porum, proh Deus! qualis hic erit
 utrimque ululatus, quàm flebiles u-
 triusque Elegiæ, quàm aspera animæ
 in corpus satyra: quo vultu se mu-
 tuò intuebuntur. Quàm ægrè hoc
 par conjugum sibi dabit manus? quot
 maledictis se mutuò lacerabunt, quot
 diris se devovebunt? Quibus verbis
 se mutuò salutabunt: ô infelix cor-
 pus [inquiet anima] tu initium ac
 finis calamitatis meæ! ô non am-
 plius sodalis meus, sed infensissimus
 hostis: non amplius adjutor, sed per-
 secu-

DE JUDICIO.

91

secutor : non amplius mihi eris domicilium, sed ergastulum. O meritò infelix? quàm caro jam mihi constant momentanæ voluptates illæ tuæ? ô fætida caro! quanta tu mihi tormenta tuis illecebris thesaurizasti! Hæccine est illa caro, propter quam tot commessionibus & ebrietatibus vacavi? propter quam tot fornicationes, tot sacrilegia, tot adulteria perpetravi: propter hunc saccum stercoreum regnum cælorum amisi? propter hunc vilem & putridum truncum vitæ æternæ jacturam feci? ô palatum infelicissimum! propter te ego terras & maria fatigabam. O venter infortunate, & quomodo ita insanivi, ut te pro Deo colerem? Hactenus ego quidem tartareis ignibus arsi; sed nunc tempus est, ut & tu mecum particeps sis pœnæ, quia fuisti & consors culpæ. O centies millies maledictum corpus, cur tu mihi obviam occurris? cur non potius in tenebrosa & purulenta sepulchri caverna æternùm in cinere & pul-

pulvere delitescis? O te sceleratum, ô me infelicem, quæ ad immaniora tormenta experienda denuò tibi conjungor. Veni miserum & iniquum corpus, nunc enim oportet nos coram summo Judice comparere, atque sinistram ejus manum cum improbis tenere, ad infaustissimam maledictionis sententiam percipiendam. O Furia, ô spiritus tartarei? quid moramini? cur me non discerpitis? cur ad nihilum me non redigitis? O maledicta dies infelicis meæ nativitatæ, quæ fatum hoc dirum & infaustam hanc cœli figuram habuisti, ut pro momentaneis voluptatibus cruciarer. Hæc igitur atque alia generis ejusdem anima in carnem suam cum ingenti rabie atque odio evomet, quam tamen cum hic in terris cum illa moraretur, tanquam Deam colebat, atque ut ejus libidinibus satisfaceret, Dei legem frangere, ac violare non verebatur. Quam violentum animæ tunc erit, denuo uniri tam infausto corpori? Itaque tunc miserum

rum

rum illud corpus incipiet horrendum
 stridere dentibus, anima verò aëra
 implere lamentabilibus questibus.
 Quippe tam corpus quàm anima ex
 omni parte, & ab omnibus creatu-
 ris destituentur; Quia, ut bene Chry-
 sostomus: *Ibi non erit resistendi vir-
 tus, nec pœnitentiæ locus, nec defen-
 sionis tempus, nec fugiendi facultas,
 nec latendi possibilitas, nec apparendi
 securitas, nec satisfactionis utilitas;
 & ex angustia omnium nil remanet ibi,
 nisi luctus: Quia nec proderunt divi-
 tia divitibus, nec parentes filiis, nec
 Angeli pro hominibus intercedent. Ita
 ille.*

OBSERVATIO MORALIS.

Maximum hic futurum ostendi-
 mus discrimen inter proborum & re-
 proborum corpora. Hic debet fieri
 electio: Tale enim ibi corpus resur-
 get, quale hic vivet. Nam ut ait A-
 postolus, messis sementi responde-
 bit: [a] *Qua seminaverit homo, hæc &
 metet.*

a Gal. 6. 7.

metet. Non vis ad vitam suscitari appenso ad collum laqueo instar Judæ proditoris, & fronte notâ desperationis inscriptâ ? Fuge illius avaritiam, prodicionem execrare. Non vis excitari à mortuis Caino similis, iniustus stigmate perditorum ? Ne illius invidiam de alienis bonis, multoque minùs cædes innocentium imiteris. Times tanquam alter Esau redivivus comparere ingratus Deo, infestus hominibus ? ne ingluviem secteris, ne probos, ut olim Esau, persequare : Nullus aliquando inventus est canis, aut lupo, nullus ursus, aut leo, rabidiore fame stimulatus, ils qui hac olim vita ventrem quasi Deum coluère : jejunium & ciborum abstinentiam contempsère, & tenui brevique cœnâ dæmoni animam suam vendidère.

CAPUT III.

*Cruce ante adventum Judicis apparens
in aere, variis vario se exhibebit
Schemate.*

Post tubæ sonitum formidabilem,
post resurrectionem corporum ad-
mirabilem, post separationem Justo-
rum à reprobis terribilem, illico si-
gnum magnum apparebit in cælo,
illud ipsum quod erectum fuit olim
in monte Calvariæ, quod erit Justis
ad solatium, reprobis ad supplicium.
Patet ex verbis D. Matthæi [a] *Tunc
parebit signum Filii hominis in cælo.*
Plerique SS. Patres conspiranti assen-
su existimant, hoc signum fore ipsi-
simam crucem, in qua Redemptor
mundi, pro salute nostra, inclinato
capite tradidit spiritum. Deferetur
ergò Crux per Angelos, priusquam
in scenam prodeat supremus Judex,
statueturque in conspectu omni-
um, veluti signum Redemptionis
nostræ, & inclytum victoriæ tro-
phæum,

a 24.30.

phæum, ac nobile amoris in nos monumentum. Exponetur autem orbi vexillum Crucis in ipsa Judicii die, paulò antequam Judex in throno suo judicaturus confideat. Sunt qui existimant, unà cum cruce proferenda alia Dominicæ passionis instrumenta, lanceam, columnam, flagella, spinas. Favet Div. Thomas sic loquens [a] *Veniente Domino ad Judicium, signum Crucis & alia passionis indicia demonstrabuntur.* Alii censent, appa- rente Cruce, etiam electorum frontes vi Angelica, cruce notandas. Sic enim D. Joan. vaticinante Spiritu aliquando futurum edixit, cùm Angelicos sic inter se colloquentes induxit [b] *Signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Quapropter electi omnes habebunt in fronte expressum signum Crucis, & ex illo signo, Pastor agnoscet oves suas, Magister discipulos, Judex electos, Dux milites, Pater filios. Sunt non pauci ex SS. Patribus, qui sentiunt, producendam cum Cru-

ce

a Opne cap. 24. b Apoc. 3. 7.

ce & Arcam fœderis, quæ fuit typus, & umbra Crucis. Et confirmant suam sententiam D. Joannis oraculo sic scribentis [a] *Et apertum est Templum Dei in celo, & visa est Arca testamenti ejus in calo.* Ut liqueat omnibus benè convenisse veterem legem cum nova, nec tam adversa, quàm diversa præcepisse. Ubi jam Crux omnium oculis conspicua apparuerit in medio aëre, miro splendore circumfusa: Tunc (ait Evangelista) *plangent omnes tribus terra.* Hoc est, impii omnes aspectu crucis exulcerati, edent clamorissimum quendam cum mæstissimâ lamentatione planctum, qui toto aëre, confuso strepitu personabit. S. Augustinus sic loquitur de illo planctu. [a] *Tunc plangent omnes tribus terra, videntes accusatorem suum, id est, ipsam crucem, & in ipso arguente cognoscent peccatum serò & frustra fatebuntur suam cæcitatem.* Plangent ergò impii, quia videbunt tunc instrumenta, & Christi stigmata, æquè

F

ac

a Apoc. 11. 19. b Serm. 130. de temp.

ac sua scelera , quæ illorum fuerunt
 causa , v. g. Videbit Judas se sua pro-
 ditione Christum adegisse in crucem ;
 videbit dives Epulo , se suis deliciis
 confixisse Christum, videbit superbus
 se suis honoris punctis , avarus se suis
 fraudibus , ac usuris , adulter , se suis
 libidinibus , pugnax se suis mucroni-
 bus , transfixisse Christum , videbit
 quisque impius , quot plagas suis sce-
 leribus Christo infixit , quot spinas
 ejus capiti infixit. Videbunt ergò
 Christum, non jam amplius tanquam
 sub Judice reum , sed verè Judicem
 reorum; videbunt non jam contemp-
 tibilem, sed plane terribilem , vide-
 bunt cum cruce quidem gloriosa , sed
 non in cruce ignominiosa. Ita enim
 Augustinus. [a] *Sedebit Judex , qui
 stetit sub judice , damnabit verò reos ,
 qui falso factus est reus.* Plangent ergò
 omnes tribus , pectora sua percutien-
 tes. O quam justam plorandi , & la-
 mentandi causam habebunt ! Plan-
 gent , eò quod non amplius possint a-
 gere

a De verb. Dom.

gere pœnitentiam , nec effugere Dei
Justitiam , nec declinare maledictio-
nis sententiam. Plangent ob præteri-
ta scelera , præsentem confusionem ,
futura supplicia. Deflebunt sortem
suam tristissimam, ortum suum inau-
spicatissimum , & finem suum infeli-
cissimum. Crux ergò quæ solebat es-
se amoris signum , & fœderis , spes
peccatorum, solatium afflictorum, re-
fugium desperatorum , tunc erit ma-
lorum omnium prognosticum , im-
piorum terror , belli signum, & ruina
peccatorum. Nullum ergò ô peccator
habebis refugium , tota spes concidit ,
nullum asylum , dum arbor redem-
ptivæ , lignum vitæ contra te inso-
nabit , edetque vocem non ut modò
gratiæ, sed vindictæ. Si Crux terret ,
quis consolabitur ? si totius pietatis si-
gnum exanimat , quis animabit ? si
Christi sanguis cõtra nos vociferetur,
quis pro nobis clamabit ? Si in Christi
vulneribus, & visceribus , quæ miseri-
cordia affluunt, jam misericordia non
invenitur, ad cujus opẽ confugiem⁹ ?

Cruz ergò exhibebitur ad majorem improborum punitionem. Produce- tur deinde Cruz, ut omnes Judæi, qui olim clamabant ; Crucifige, Cruci- fige, & impii Christiani, inimici Cru- cis Christi ; qui rursus crucifixerunt eum , agnoscant , illud ipsum esse li- gnum , cui illum confixerunt. Quo- modo tunc stupebit Pilatus , qui tra- didit eum voluntati Judæorum , ut crucifigeretur ? quid Annas, quid Cai- phas , quid Sacerdotes , & Scribæ , & Pharifæi dicent , qui nihil non ege- runt , ut cruci affigeretur ? quomodo illi plangent ? Rarum est , quod conti- git nostro sæculo , in ditione Pervana, uti refert Antonius Valthrinus. [a] In ejus ditionis provinciam , cùm qui- dam Christiani fugissent , unus ex iis inter sarcinulas , Crucifixi imaginem fortè conjecit : qui cùm postea ad il- lius Provinciæ Metropolim pervenif- set , multique admirabundi quærent curiosius , quid illud esset ? Respondit illum esse Christianorum Deum.

Quæ

a Raderus viridar. p. 1. f. 273.

Quæ res hominum sermonibus celebrata, ad Principis aures pervenit is eadem videndi cupiditate inductus in aream palatii cum trecentis circiter viris processit, hominemque sibi cum imagine fisti jussit, quam cum in manus sumpsisset, diligenter contemplatus. Hiccine, inquit, Deus est Christianorum? Ille ipse, inquit Indus. Tum Princeps, ait tu? Hiccine Deus est, quo ad jutore Christiani Indas, totumque regnum Pervanum subegerunt? Cum Indus affirmaret; At hic, ait Princeps, homo est, omnibus cruciatibus necatus; simul ad imaginem expuens, homini reddit. Mirum dictu; statim ut Indus in manus accepit imaginem, cepit illa caput, quod in dextram partem inclinatum habebat, ad sinistram convertere, & oculos in Principem, cæterosque qui aderant defigere, qui omnes continuo, præter eum, qui Crucifixi tenebat imaginem, conciderunt proni in terram, ac tribus horis sine sensu, ac spiritu mortuis similes jacuerunt. Quos cum

populus mortuos existimaret, ingens tota urbe luctus excitatus est. Interea Princeps, ac deinceps cæteri ad se rediens, surgensque exclamavit. Verè magnus est Christianorum Deus: reliquisque omnibus stupore quodam defixis, ac pavidis, pœnâ propositâ edixit, ne quis impofterum Christianorum Deum blasphemaret: atque extracto, ornatoque juxta palatium sacello, ibi Crucifixi imaginem collocari, atque ab omnibus adorari iussit. Ille Princeps postea cum filio unigenito sexenni, mutatis vestibus, ne posset agnosci, contulit se ad oppidum proximum, ubi erant nostri Patres; ibique sacro Baptismatis fonte ablutus est, & statim post expiravit. Quod si Indi illi steterint ita attoniti, ad exiguum illud Crucifixi simulachrum: quid dicent in die iudicii omnes Judæi, Ethnici, Gentiles, quando videbunt sacrosanctum Crucis lignum in aëre sublime, tanto conspicuum fulgore? Nonne ille meritò inquirent. Hoccine est lignum illud, quod Judæis

dæis erat scandalum, Gentibus stulticia? Hocine est lignum, quo fractæ sunt tartarorum fores, evacuatus limbus, aperti cœli, debellati hostes, devicti dæmones, sublata mors, dejecta idola, proscripta ex toto orbe idololatrya? Hocine est lignum triumphale, quo sibi Deus Christianorum totum subjecit orbem; quo sibi acquisivit potestatem omnem in cælo, & in terra?

OBSERVATIO MORALIS. ¶

Jam Crux est arbor salutis: in ea Christus salus nostra extendit ad nos manus, ut nos amplectetur: in eâ inclinatur caput, ut nos osculetur, & orationibus nostris annuat, in eâ distillat balsamum sanguinis sui, ut vulnera nostra curet, in ea nobis pectus suum patulum offert, ut nos in visceribus suis condat, & ab ira ventura abscondat: juxta eam Virgo ac Mater ejus, ut pro nobis intercedat. Sed in illa die nihil horum amplius in Cruce reperietur. Ubi tunc Deipara? Ubi apertum latus, ubi sanguis, ubi caput inclinatum, ubi bra-

chia amplexantia, ubi Cbristus? Audi Oseam. [a] *Vadent ad quærendum Dominum, & non invenient, ablatu est ab eis.* O verbum asperum! Nos ut conspectâ illa cruce gaudeamus, & exulemus ob salutem per crucem obtentam, dicamus cum Paulo. [a] *Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.* Veneremur hanc crucem Salvatoris, dum adhuc in nostro hemisphærio lucet dies salutis. Cōvertamur jam toto corpore & corde ad crucem & crucifixum, & dicamus cum matre nostra Ecclesia: *Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus.* Te obsecramus per illam crucem quam incurvo corpore, inclinato vertice, capite spinis coronato, fractis humeris, lacero tergo, sanguinolentis pedibus, lachrymantibus oculis, suspiranti corde, pro nostra salute portasti, repens per plateas Jerusalem, ad montem Calvariæ; Per illam crucem te obsecramus, quam perfudisti tuo sudore, tuis lachrymis, tu sanguine, in

a, Gal. 5. 14. qua

qua pro inimicis Patrem orasti, latroni paradisum promifisti, Patri spiritū reddidisti, ut hæc Crux in die Judicii sit nobis instrumentum vitæ, non mortis; salutis, non perditionis, clavis denique cæli, ubi tecum æternum regnemus, qui regnasti à ligno.

CAPUT IV.

Bene expensus descensus è cælo supremi Judicis, erit ascensus ad cælum novi hominis.

QUidquid hætenus de supremo Judicio, de die Domini magno, de tremenda illa cælo, terræque, Divinæ Justitiæ tragædia, vel à me dictum, vel à te fuit lectum, non fuit nisi quoddam ad ea quæ sequuntur, leve præludium. Quod enim in hoc argumento est impiis maximè formidandum, est ipsa formidinis plena Judicis persona. Postquam Deus gravissima intulisset supplicia Samaritanis, quasi hætenus illis pepercisset, mox subjungit. *Postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui.*

Ac

Ac si dicat Deus. Hactenus cum igne, cum fame, cum bello, cum elementorum omnium in vos conspirantium furore, & similibus plagis luctati estis: velites illi fuere, & quasi levioris armaturæ milites! nunc ventum est ad triarios, jam imminet pugna decretoria, nunc cum Deo tibi, non cum Dei creaturis, sine alicujus interventu, agendum est. *Præparare in occursum Dei tui.* Instar umbræ aut picturæ sunt pœnæ hucusque recensitæ, si cum pœnis tibi in occursum Dei inferendis comparentur. Ab enervi & imbecilli creaturæ brachio molles tantum ictus accepisti: in occursum Dei tui Judicis, vulnera senties à gigantea, ab omnipotente illata manu. Dominus Deus exercituum nomen illi. *Præparare ô miser in occursum Dei tui.* Modò, quali, quantoque, & quam formidando cum apparatu & gloriæ pompa venturus sit, erie stupor audire, horror cogitare. Certum est ad majorem formidinem incutiendam reprobis, igne, Judicis adventum antecessurū. Quod

ex regio Vate est nimis quam explo-
ratam. [a] *Ignis ante ipsū præcedet, &
inflammabit in circuitu inimicos ejus.*
Et eodē Ps. *Ignis in conspectu ejus ex-
ardescet, & in circuitu ejus, tempestas
valida.* Sublimiori adhuc cothurno
ambulans tragicus Orator Isaias, exag-
gerat à quadā eloquentiā eundē hunc,
de quo agimus, terribilem apparatus
Judicis describit. [b] *Ecce Dominus in
igne veniet, & quasi turbo quadriga ejus,
reddere in indignatione furorem suum,
& increpationem suam in flamma ignis,
quia in igne Dominus dijudicabit, & in
gladio suo ad omnem carnem.* Quis non
horreat, audiens flammeas quadrigas,
ignea carpenta, fulminatrices rotas, a-
tram caliginem, procellosos turbines,
validā tempestatē, & id genus alia tri-
stia Justitiæ instrumentā? Ex quibus
verbis, aliisq; similibus, hīc rerū gerē-
darum ordo elici potest. Cū primū
Angeli cum crucis coruscante vexil-
lo, aliisque insignibus possessionum
Christi

a Psalm. 96. 3. & 4. b Cap. 66. 15.

Christi apparuerint, ignē è cælo ubique fulgurante ruiturum, eumque latē in omnes terræ fines, hominibus desertos, devolaturum; & omnia circumquaque opera hominum, si qua prioribus cladibus superfuerint, infestum devoraturum, tanto ardore, ut montes ipsi instar ceræ liquecant. Interim Judicium magna celeritate fiet, dum ignis properando aut provolando potius eò perveniet, ut in circuitu Judicis, inimicos inflammet; Et cū primū ejus decreto, æternis ignibus addicti fuerint, eos flamma circumvoluta corripiat, tellusque horrendum dehiscens, excipiat in ima terræ viscera, ipsumque Tartarum præcipiti casu proruentes, cum flammis quæ stagnum efficiunt ignis, & sulphuris tot corporum mergendorum & cruciandorum capax. Cæterum Evangelistæ majestatem, qua Judex Deus è cælo veniet ita describunt, ut cogitare possimus tanquā ante ambulones Angelos, Archangelos, & Potestates, & Principatus, omnesque cælestium

estium Virtutum choros, armis Divinæ Justitiæ consentaneis accinctos. Hos præibit Archangelus Michael districto fulgurante gladio, tanquam summi Regis armiger. Cœlestem hanc cohortem severo vultu Apostoli consequentur, non jam martyrii quo quisque interfectus est insignibus ostentatis, sed judiciariâ potestate. [a]

Et gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ponè sequetur B. Virgo non Matris misericordiæ, & peccatorum refugii prænotata titulo, sed severitatis in eosdem demonstratione formidabilis. Vestis illius purpurea, indicabit columbæ sine felle olim nobis notam mansuetudinem, eo die in sanguineam leenæ feritatem, contra peccatores convertendam. Hæc secum reputans Malachias, intuitus Comitatum igneum, & feralem Divini Judicis, sudoris anheli vi magna, & capillorum sese arrigentium tremore concussus, clausit oculos, ne

G

illo-

a Psal. 14. 99.

illorum faceret jacturam, faciemque alio avertit. Atque ne quis tanti timoris causam miretur, ait: [a] *Quis stabit ad videndum eum, & Ipse enim quasi ignis conflagrans. Quasi dicat: Quidquid vidi, ignis erat, flamma, incendium. Imò verò metus, qui ab illa flamma, tempestate, & metuenda Judicis majestate incutietur, tantus erit, ut Isaias dicat [b] *Ingredientur (nimirum impii) in scissuras petrarum, & cavernas saxorum: & in voragines terra, à facie formidinis Domini, & à gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. Quis non obstupescat, juxta ac horreat, dum audit de hoc Judice loquentem Job? [c] *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus? Quid sibi vult hoc Iobi votum? Solenne est omnibus, qui in extremo versantur discrimine vitæ, ut ad securum confugiant locum, convolent ad asylum, ubi amicorum tutela protegantur. Sed quæ securitas sperari potest***

a cl. 3. b Isa. 2. c Job. 13. 14.

DE JUDICIO.

111

potest in ipsa Divinæ Justitiæ ferali officina . in malorum omnium , quæ ab homine timeri possunt , domicilio in illo ergastulo , ubi Deus omnis furoris sui indignantis effundit habenas ? in illo loco , ubi nulli sunt nisi capitales Dei inimici , Animarum tortores , corporum tyranni , uno verbo , in inferno ? Infernus est miseriarum omnium receptaculum , non miserorum refugium. Quomodo illum protegent juratissimi ipsius hostes , qui eum tot calamitatibus hic in terris involverunt , facultatibus exuerunt , fortunis spoliarunt , ulcere pessimo per totum corpus percusserunt. Dæmones inquam ? Solent illi homines non servare , sed perdere , non protegere , sed interficere. Tamen Job cum non nesciret , quàm foret res plena immensi cujusdam horroris , intueri vultum irati Judicis , & coram ejus tribunali præsentem se sistere , mitius illi videbatur vel in ipso horribilium omnium horribilissimo loco, Inferno

G 2

com-

commorari, ibique inter truculentos
animarum carnifices cacodæmones
versari, & ab iis cruciari, quàm Deum
Judicem, ex arcuata nube in impios
fulminantem contemplari.

OBSERVATIO MORALIS.

Quis nostrum hoc timet? Forſitan
intra triduum, infelix, coram horri-
bili illius tribunali citaberis, quo
condemnatus ad Inferos detruderis,
perpetuis pœnis cruciandus! Morti
tamen cum ita vicinus ſis, rides, la-
ſcivis, geſtis, in ipſo æternitatis limi-
ne jocaris, in ipſo prope naufragio
cantas, in ipſo unde deſcendendus es pa-
tibulo, tripudias. Nunquam iram
Judicis animo volvis, nedum tibi
eum propitium reddis. Sed quid ver-
ſipellis ille ſathan, præſtigiis te ſuis
circumventum fascinat? Omni quip-
pe ratione conatur hanc hominum a-
nimis extremi Judicii memoriam pe-
nitus eradere, Quod inſigni ſimilitu-
dine S. Antonius Patavinus [a] illu-
ſtrat. Solent, inquit, bombices tan-

toperè

a In Ser. quod.

toperè tonitru perhorrescere , ut ejus
audito fragore statim emorian-
tur , & ipse glomus iis loco sepulchri sit. At
qui bombyces alunt , quo eos ab inte-
ritu eripiant , sonitu quodam exiguo
quotidie exitato eos ad majorem fra-
gorem excipiendū assuefacere solent ,
ne cū repente forsitan tonitru fra-
gor insonuerit , confestim emorian-
tur : Eādē planè industriā , ne di-
cam versutiā utitur & adversarius no-
ster diabolus : quippe cū probè no-
rit nil magis ad peccata in animis suf-
focanda , & extinguenda conducere ,
quam sonitum , strepitum , tonitru , &
fragorem Divini Judicii ; omni ratio-
ne conatur ea ad mundi crepitacula ,
id est , ad exiguos & fractos vanitatis ,
inanis gloriæ , & ambitionis tinnitus
assuefacere , ut postea rei adeò neces-
sariæ memoria amissâ , etiamsi Divi-
norum Judiciorum fragorem ex con-
cionatoris detonantis ore excipiant ,
parum , aut nil moveantur , vitam-
que securè sine ulla prorsus formidine
traducant : & sanè solent mundi hu-

jus fragores & strepitus quibus nos
 diabolus assuefacit, aures nobis ob-
 tundere, ne Divinorum judiciorum,
 quæ instar tonitruû reboant sonitum,
 aut fragorê audire valeam⁹. Nos con-
 tra, non tantum Divini Judicii toni-
 trua è pulpito attentis excipiamus au-
 ribus, sed & tacitis imprimamus
 mentibus, sæpè in memoriam revo-
 cantes, quàm exacta, rigida non tan-
 tum de gravibus, sed levissimis, non
 tantum de maximis, sed de minimis
 reddenda sit ratio delictis. Ita ut ausus
 fuerit dicere Isidorus. *Ad districti Ju-
 dicitis examen nec justitia justis securâ est.*
 Imò ut Abbas Agaton ait. *Si Deus no-
 bis imputaret distractiones cordis, &
 negligentias, quas in orationibus nostris
 & officio Divino incurrimus, salvi esse
 non possemus.* Non est quod nobis im-
 ponamus nostrâ hic scientiâ, pruden-
 tiâ, & astutiâ. Quia coram Dei Tri-
 bunali nil poterunt, nec valebunt al-
 legationes Advocatorum, nil sophis-
 mata Logicorum, nil rationes Orato-
 rum, nil Aristotelicæ argumenta sub-
 tilitatis.

CAPUT V.

Judicis è cœlo descendentis, & in throno confidentis magnificus apparatus.

TAndem præmissâ horrificâ ignium, ac flammaram tempestate, Judex è cœlo, aperto veluti sipario, in scenam prodibit. Pompam universam quâ prodibit, S. Spiritus Scribæ Evangelistæ breviter quidem, sed nervosè sacro stylo expresserunt. Matthæus duobus locis. *Videbunt Filium hominis venientem, &c. & [a] Cum venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.* [b] Marcus scribit venturum cum virtute multa, & gloria. [c] Lucas, cum potestate magna & majestate. Itaque ut quæ per Evangelistas sparsa sunt variis locis, in unum coacervemus cumulum, constat venturū primò in nubibus, 2. cum

G 4

Angelis,

a *Matth. 24. 27.* b *Marc. 13. 26.*c *Luc. 12. 7.*

Angelis, tertio cum virtute, quarto cum gloria, quinto cum majestate, & quidem multa, ac magna. Singula hæc modo pro nostro modulo accuratè exponamus. Ordiamur à nubibus. *Videbunt Filium hominis venturum in nubibus.* Hic primò dubium occurrit, sitne Christus venturus in una tantum nube, an verò in pluribus? Ratio dubitandi suboritur ex verbis D. Lucæ dissimilibus à verbis Matthæi & Marci: nam Lucæ dicit Christum venturum *in nube*, reliqui verò Evangelistæ, *in nubibus*. Communior est opinio descensurum Christum in una nube, sed quæ multis aliis nubibus erit circumfusa, ad majorem gloriam ostentandam. Rupertus existimat fore uubes procellosas, ignem, fulminaque jaculantes. *Non erunt, ait, nubes pluviis vorantes, terramque refrigerantes, sed nubes tempestuosa, ignem spirantes, fulmina jacentes.* Verior erit hæc sententia, si dicamus, ex parte superiori fulgidas & placidas

nu-

a *In Apoc. 5.*

nubes fore, ex inferiori verò procello-
sas ac turbulentas. Circuibunt ergò
Dominum nubes tempestate plenæ,
fulminibus, igneisque jaculis in im-
pios vibrantibus. Alterum quod ad
hujus apparatus magnificentiam va-
lebit, erit Judicis thronus. Dixit e-
nim ipsemet sessurum se in throno
magnificentissimo, & qui ejus deceat
majestatem. Sic enim interpretari
possumus illud. [a] *Sedebit super se-
dem majestatis suæ.* & David : *Paravit
in judicio thronum suum.* Erit quoque
hic thronus aspectabilis, ex nubi-
bus enim fabricatus erit, sed eo
artificio ac magnificentia, quæ &
Angelorum redoleat industriam sin-
gularem, & digna sit illo omnium e-
lectorum Principe, illo ipso die, quo
supremus omnium gentium Judex se-
debit, quo subditis omnibus speci-
men dabit dignitatis suæ, quo suis o-
lim contemptoribus illudere quo-
dammodo, & insultare volet, glo-
riæ, ac pulchritudinis suæ magnifi-

G 5

cen-

a Psal. 9. 5.

centiâ. Faceſſant omnia ſupremorum
 Judicum antiqua tribunalia , Præto-
 rum , Conſulum , Proregum. Faceſ-
 ſant omnia ſolia Regum, Pontificum,
 Imperatorum. Valeat ille quoque
 Salomonis thronus , ebore atque au-
 ro renidens , tantaque arte conſtru-
 ctus, ut verè de illo ſcriptum ſit. [a]
Non fuiſſe factum tale opus in univerſis
regnis. Sequitur jam in Matthæo : *Et*
omnes Angeli cum eo. Cum autem vene-
rit Filius hominis & omnes Angeli cum
eo. Quos intellexit D. Lucas cum dixit,
 (b) *Venturum cum poteſtate magna!* five
 ut habet Matthæus , *cum virtute mul-*
ta: id eſt , cum magnis Angelorum
 copiis. Hæ nimirum ſunt Angelicæ
 legiones , quas habebat in poteſtate,
 illo ipſo tempore , quo à militibus ca-
 ptus , vinc-tusque tenebatur , legiones
 innumerabiles, ordine pulcherrimo,
 & corporum fulgore gratiſſimo ince-
 dentes. Itaque in die judicii ne uni-
 cuſ quidem Angelus manebit in
 cælo,

a 3. Reg. 10. 18. b Luc. 21. 12.

coelo; sed omnes omninò cum eo descendunt, eumque quasi Deum & Dominum suum honoris causa, quasi ephæbi comitabuntur. Unde Chrysostomus clarè fatetur, cœlum tunc evacuandum; quia nullus erit in cœlo Sanctus; nullus quoque Angelus, neque etiam Christus. Erit igitur in cœlo solus; qui cœlum, & terram implet, Deus. Præterea est admodum probabile, Angelos omnes tunc assumpturos corpora, ex aère condensato, in iisque splendidis gloriosè apparituros: alioquin enim hæc Christi Angelis stipati gloria & potestas, non posset videri ab impiis, & reprobis, quorum tamen causâ maximè exhibebitur. Cum ergò innumerabilis sit Angelorum multitudo, tunc longè lateque supremas aëris regiones undique per multa millia milliarium usque ad ipsos cœlos replebunt & immensi exercitus speciem præbebunt. Valde quoque credibile est, demones etiam in corporibus assum-

assumptis, sed tetrīs, horridis, & terrificis apparituros, vel quia alio quā ab impiis videri non possent, vel quia pertinet ad Christi quā homo est & Judex, gloriam, & impiorum confusionem, ut videantur. Quam admirandum igitur erit spectaculum, hic videre decies millies, centena millia, legionum Angelicarum aëris regione latissima fursum, deorsumque explicatura, nunc Judicis laudes canentium, tunc fortia facta Sanctorum, nunc improborum calamitati insultantium, juxta veterem Divinæ sapientiæ comminationem. Tunc implebitur illud, quod dixit Dominus Caiphæ, in Concilio Judæorum. [a] *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris Virtutis Dei.* Mirabile spectaculum, in sublimi aëre videre corpore glorioso, sedentem in throno splendido, circumfusum innumeris Angelorum legionibus, totum hæmisphærium usque ad cælum occupantibus, stipatum ad dextram immenso beatorum

a Matth. 26.

torum hominum exercitu, qui omnes Solis instar splendebunt. Infernè in terra ad sinistram, infinitam multitudinem damnandorū humi prostratam, gementem, ululantem, vociferantem, quæ superficiem terræ longè lateque occupabit. Furentibus in eos dæmonibus, & omnem rabiem suam in illos evomentibus? Aderunt ergò illic omnes creaturæ rationales. Nullus erit in toto cœlo, nullus in tartaro, nullus in purgatorio, nullus in aliquo orbis angulo, sed omnia loca toto illo temporis spatio, quo exercebitur Judicium, erunt planè vacua, aderuntque in valle Josaphat omnes Angeli, homines, dæmiones. Hic ergò attolle oculos, ut spectes maximum qui unquam Christo exhibitus fuit, vel deinceps tota æternitate exhibebitur, cultum, honorem, reverentiam. Quamprimum Christus è cœlo per aëra delapsus venerit in conspectum immensi illius theatri, ac tam celebris confessus: & jam in magnifico throno Judex vivorū, ac mortuorum

federit, statim omnes quotquot ibidem præsentem consistent, tum in aëre sublimes, tum in terra depressi, Angeli, homines, electi, reprobi, & demones ipsi prono vertice, flexis poplitibus, submississima tum corporis, tum animi reverentia Christum ut naturalem Dei Filium; ut Regem Regum, ut supremum cæli, terræque Dominum venerabundi adorabunt; implebiturque illud magnificentum Pauli de Christo effatum. [a]

Omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, tunc omnis lingua confitebitur, quoniam Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

De communi hac omnium adoratione evidenter scribit David. [b]

Omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. Deinde Paulus. [c]

Omnes stabimus ante tribunal Christi: scriptum est enim: Vivo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua

con-

a Phil. 2. b Ps. 8. 5. c Rom. 14.

confitebitur Deo. Ubi nunc es Pilate, emerge ex illa execranda reproborum colluvie, caputque huc attolle, oculos eleva: Tua ipsa hic usurpabo verba à te olim die Parasceve prolata. Tu in amplissimo Jerosolymæ foro, coram immensa Judæorum multitudine, cum Christus staret vinctis manibus, redimito spinis vertice, vulneribus hiulcis plenus, toto corpore sanguinolentus, toto vultu lividus, clamabas coram omni populo: [a] *Ecce homo.* Huc, huc modò oculos converte. Ecce homo, Cui data est omnis potestas in cœlo & in terra. Ecce homo, qui à Deo constitutus est Judex vivorum ac mortuorum. Ecce homo, ô perfidi Judæi, quem furore rabidi petiistis in crucem agi: vociferantes, crucifige. Ecce homo, impii! quem postposuistis Barabbæ, dicentes: non hunc sed Barabbam. Habetis vobiscum jam homicidam & latronem Barabbam, reum, Christum verò Judicem. Vos clamabatis, non habe-

a Joann. 19. 5.

habemus alium Regem nisi Cæsarem, Confugite jam ad vestrum Cæsarem, adferat jam vobis opem. Non habebitis jam Christum qui vos det Regem, sed qui condemnet Judicem. Ecce quomodo jam sedet in magnifico folio, qui jacuit novem mensibus in matris utero; sedet jam in throno, qui olim jacuit in fœno. Sedet in monte gloriæ, qui prostratus jacuit sudans aqua & sanguine in monte Oliveti, monte angustiae. Sedet in tribunali Justitiæ, qui toties stetit victus manibus coram tribunalibus injustitiæ. Sed quid hic verbis meis cruento miseros Judæos, quos satis in die illo furoris punget Divina Justitia? converto sermonem ad Catholicos, & quid ni ad te lector, quem de rei illius, de qua ago dignitate, & non tam cupio esse lectorem quàm Judicem.

OBSERVATIO MORALIS.

Legisti quomodo in magnifico illo amphitheatro omnes & Angeli, & homines: & dæmones sacro quodam horrore undique circumfusi, præ gloria,

ria, & majestate Judicis, eum prono corpore sint adoraturi. Tuum jam postulo judicium. Possentne quid non dicam fieri, sed propè concipi indignius, quàm nos Christianos, qui tam certâ, & indubitâtâ fide credimus Christum in arâ adstare præsentem Judicem, quem credimus nos aliquando judicaturum; tanta tamen adstare illic irreverentia, inverecundia, immodestia, quanta puderet adstare coram viro aliquo honorato, in dignitate constituto? Totum templi spatium repletur cœlestibus illis generis, nec in Templo aër tot scatet atomis, quod abundat Angelis; rubet ara Divino Christi cruore, offertur æterno Patri pro mundi expiatione piacularis victima, occupatur arcano mysterio sacer Mysta; nil hic agitur nisi quod est cœleste, Divinum, sacrosanctum: Et interim dum hæc peraguntur, stabit præcax aliquis juvenis, qui intolerabili impudentia, lænocinabitur oculis, gesticulabitur manibus, fabulabitur linguâ, vegabitur
per

per quævis nefanda animo, perinde ac si non à Presbytero res Divina ageretur in delubro, sed ab histrione comædia exhiberetur in theatro. O impiè! quomodo audes coram tuo Judice, coram quo flectetur aliquando omne genu, vel erectus stare, vel nno tantum genu flectere? Vides quomodo populus universus ad illa verba: [a] *Et Verbum caro factum est,* statim incurvo corpore in terram sese inclinat, quasi tanti beneficii, quanti est Verbum pro nobis incarnatum, pondere oppressus, stare amplius non possint; & tu non tantum audis verba illa proferri: *Et Verbum caro factum est,* sed & vides, & credis ipsum Verbum incarnatum, & pro tua salute incarnatum, illic præsens esse, & non majori honore prosequeris illic Filium Dei, quàm inane simulachrum Jovis, vel Mercurii. Et si ingrediatur crepitantibus calceis, & byssinâ togâ, nescio, quæ sordidula pellex tergum obvertes Filio Dei, totum corpus ve-

nera

a Joan. 1.

nerabundus obvertes mancipio fors
diaboli. Quid dices, dum adstabis
tuo Judici? Non credidisti hæc? ergo
fuiſti perfidus; credidisti? ergo fuiſti
impius, & pro alterutro crimine con-
demnandus.

CAPUT VI.

*Ante ultimum Tragædiæ actum pro-
deunt varii reproborum
actores.*

PRoduximus improbos tanquam
primorum scelerum reos ad mag-
num forum, ad celeberrima comitia,
ad terrificum tribunal, ad latè patens
& immensum illud theatrum, ad æ-
ternam ignominiam illudendos ac
detestandos. Jam superest ut illi
omnium oculis objecti, coram in-
omnium luce & conspectu ab homi-
nibus, Angelis, dæmonibus, Deo co-
arguantur ac condemnentur, ut ita
tandem veluti publico totius universi
præconio voce & tabellis notentur,
& sempiternæ infamiæ objiciantur.
Postquam cœlum, terra, sol, sidera,
ele-

elementa, muta omnia atque inani-
 ma impios redarguerint, & tota rerum
 universitas conspiranti voce clamave-
 rit, quod olim in consilio suo Judæi
 contra Christum! [a] *Reus est mor-
 tis*: Surgent mox contra impios Ca-
 tholicos, Gentiles, Ethnici, Turcæ,
 infideles omnes, quorum virtus ma-
 jor à sola natura, & imbecilli ejus lu-
 mine, quàm Christianorum cum na-
 tura eadem, à gratia, ejusque clarif-
 sima luce. Hic ergò cum impio Chri-
 stiano gentilis. Tunc Christianus?
 Ubi religio, ac sacrorum cultus? Is
 Christianus qui nec templa, nec a-
 ras, nec focos sacros, nec sacri-
 ficos, nec vestales ullas, neque
 divinos homines reveretur? Qui tem-
 pla velut arces propugnat, impugnat,
 expugnat? arasque pro heris habet,
 neque amicus, aut inimicus est usque
 ad aras, sed & inter templum, & alta-
 re fundit sanguinem, vel in ara est sæ-
 vus? Christianus tu? Imò infideli de-
 terior. Jurabas trecentos Joves ac
 Deos

a *Matth.* 27.

Deos omnes passim, & quidquid in tartaro est dæmoniorū; juratus verò etiam Evangelii, & crucis attactu pejerabas. Cùm rebus adversis affligebaris, mox erumpebas in verba blasphemix, & incesto ore superos omnes persequeris. Contra illos assurgunt Turcæ, de quibus ita scribitur. [a] *Inter Mahumetistas nullus tam durus casus eis contingit, ut fracti impatientia redigantur in blasphemiam; verum quidquid evenit, non stomachantur ut aurigæ & nautæ, sed illud habent in ore, laus Deo.* Pergent illi in suis accusationibus. Sacerdotes ac sacrorum ministros, itemque viros religione Deo consecratos contemptui habuit, illorum famam petulantissimè traduxit, odio sectatus est, nomen fictis criminacionibus, ac mendaciis obscuravit. Surget tunc Alexander Magnus qui Jaddo Sucania sacerdoti adgeniculatus; Attilus, qui Divi Leonis oratione cicuratus, Persæ prisci apud quos Magi in summo honore! Galli veteres

a Nicol. Clem. l. 1. cap. 15.

res qui Druydas suos maximè venerati, Romani Confules, quorum fasces Vestalibus occurfantibus inclinatis; sententiæ capitis (illis casu intervenientibus) revocatae. Et hic Christianus his adversa gerens omnia; Hicci-
 ne Christianus divitiarum regnorum-
 que helluo, cui uni (ut olim Pellæo Juveni) non suffecit orbis, quique obulo mundi ultimo per fas & nefas inhians, in Lazarum Epulone crudelior vixit? & hic se Christianum jactat? Surget contra illum Crates, qui opes in mare mergere, quàm ab illis in vitia mergi maluit. Tu auro, & ostro in vestibibus gravis, & si pretium specto non pileos, sed arces in vertice geris, quotidieque nova ac novè ingeniosus in his nimis, stipes in cæteris, somnias. Surgent ergò viri non tantum Ninivita, sed & Romani & Graeci, & Persæ, & Tartari, & Turcæ, & Indi, tota denique Barbaria contra impios Catholicos. Sed dum de Ethnicis sermonem instituto, ecce tibi assurgunt Catholici electi, &

contra

contra Catholicos in reproborum
classe constitutos debacchantur. Qua-
les hic audiuntur innocentium contra
nocentes querelæ? Hinc apparent vi-
duæ, pupilli, orphani, clientes, servi,
ancillæ, afflicti, cæsi, trucidati, & lu-
culentis affecti injuriis. Inde impiï
heri, iniqui judices, crudeles exacto-
res, tyranni, prædones, homicidæ,
pyratæ, & id genus vultures, leones,
harpia. Discutiuntur jam causæ, quæ
à tot sæculis abditæ latuerunt: con-
cutiunt Judicis tribunal lamenta vi-
duarum, gemitus oppressorum, pau-
perum lachrymæ, fletus orphano-
rum, vulnera occisorum, sanguis
Martyrum. Illic modò è latebris in
lucem prodeunt omnes iniquorum
advocatorum strophæ & technæ,
quæstiones eorum, qui aliquando
pro decem obolis in vincula conjecti
sunt. Quibus pro aliquot terunciis
dictus est dies; qui pro leviori verbo
graviter percussi sunt in maxillam.
Tunc Deum habebunt Patronum;
quem

quem hic videbantur habere adversarium ; tunc potentes potentiorum se sustinebunt. Tunc redundantur dentes eorum , quibus calamitosos momorderunt ; ungues quibus laceraverunt ; calces quibus percusserunt , ritus canini quibus infilierunt frendentes , hirsuta capita , quibus terruerunt , & omnia cornua , quibus impulerunt , ventilaverunt & quasi comminuerunt. Post hos omnes tandem accedet sævissimus omnium accusator , qui per excellentiam vocatur accusator fratrum suorum , cacoedæmon , multo acrius quam unquam Tullius vel Clodium , vel Verrem , vel Catilinam , vel Antonium accusabit. Hic teste D. Augustino præsto erit , & recitabit verba professionis nostræ , & objiciet nobis in faciem quidquid fecimus , & quidquid peccavimus , & quo loco , & quidquid facere debueramus. Audite hic ejus orationem omni jambo , & satyra acerbiorum , Augustini verbis contextam. [a] *Æquissime Judex,*

a *Orat. contra Judæos & Pagan. F. 6. c.*
Psal. 88. 5. inqui-

inquiet, *judica*. *Judicium & Justitia*
preparatio sedis tuae. Judica meum es-
se, qui tuus esse noluit, meus est, me-
cum damnandus est, post renuntiatio-
nem, ut qui invasit pannos meos? Quid
apud ipsum impudicitia faciebat, qui
ipse renuntiaverat? Quid intemperan-
tia? Quid avaritia? Quid ira? Quid
superbia? Quid cetera mea? Postremo
fugientem à me, confugientem ad te,
postea, cum meis, quibus renuntiave-
rat apprehendi, invasore detinui. In ipsa
quodammodo mea possessione à me appre-
hensus est. Quid enim in circo faciebat,
atque ibi furias, lites, insanas voces,
inanesque victorias miscebat, cum jam
à se alienus sibi met videbatur? Quid in
theatro faciebat renuntiator turpium
voluptatum? Quid in amphitheatro,
crudelitates sevas oculis suis intuendo?
Hec omnia mea post renuntiationem in-
vasit, meus esse voluit, & mea concu-
pivit. Judica, judica equissime, quia
quem tu non dedignatus es tanto pretio
liberare, ipse mihi se postmodum voluit
obligare. Non potes non sententiam con-

tra hos perfidos pronuntiare, eosque mihi adjudicare. Mei enim semper fuerunt, & in omnibus voluntati meae satisfecerunt. Tui erant, quia tu eos creaveras ad imaginem, & similitudinem tuam; perditos quoque proprio tuo sanguine redemeras; sed obedientiam, quam tibi debebant, excusserunt, & mihi per omnia paruerunt: mandata tua praevaricati sunt, & mea semper observarunt. spiritu meo vixerunt; opera mea imitati sunt, vias meas ambulaverunt. Vide itaque *Aequissime*, quanto potius jus meum in illos sit, quam tuum. Nihil illis dedi, nihil pollicitus sum, corpus, meum pro illis non pependit, & tamen meis praeceptis per omnia, non tuis paruerunt. Si mandarem illis, ut jurarent, peierarent, furarentur, occiderent, adulterium committerent, & nomen tuum abnegarent, omnia hac animo promptissimo fecerunt; pro te autem, qui Deus, & Creator, & Redemptor eorum es, qui largitus illis eras opes, vitam, salutem, qui & gratiam illis offerebas, & gloriam pro-

miser-

mittebas, & qui super hæc omnia passus eras in cruce, ne minimum quidem pro his omnibus periculum adire voluerunt. Quoties tu ad ostia eorum venisti ulcerosus, nudus, pauper, atque famelicus; Illi tamen magis solliciti fuerunt, quomodo canes, & equos saturarent, quàm ut tibi stipem darent; magis quomodo adium suarum parietes serico, auro induerent, quàm ut te detritâ veste cooperirent. Justum igitur est, ut vel semel tanta Majestatis tuæ injuriam, & contemptum ulciscaris. Hæc erit amarulenta illa dæmonum accusatio. Ea omnia dicta à me, dicentur olim, sed alio longè tono, in magno illo foro.

OBSERVATIO MORALIS.

Superest, ne nobis exprobretur à viris Ninivitis, quod pœnitentiam non egerimus, jam dum licet agamus, ne pœnitentiam nos non egisse, dum animam agemus, nos pœniteat. Uti contigisse fœneratori cui-dam scribit Joannes Algrinus Episc.

[a] & Cardinalis. Hunc quoties sanum valentemque adhortatus est sacerdos, ut ad certum, ac securum se reciperet pœnitentiæ asylum, semper cum fastidientis quadam stomachi nausea regeffit; huic negotio suum adhuc superesse tempus, nondum supremum sibi illuxisse diem, neque solem in proximo minari occasum ultimum, paulatim tamen adrepit non suspecta, lethalis ægrotudo, aditumque stravit secururæ morti. Jamque iterum monetur à Sacerdote æger, periculum ne contemnere velit, hoc saltem prehensus rerum articulo, pœniteret scelerum, perque usurpata Ecclesiæ Sacramenta laboraret pro impetranda Numinis gratiâ. Sed & ille cantilenam suam rursus cantare, & consuetum illud repetere cœpit, nondum omnes effluxisse horas, diesque; amplexaturum se pœnitentiam, quo tempore opportunissimum videbitur. Tandem cùm sensim & valetudo increaseret, & fata propius accede-

a *Specul. Exempl. V. pœnitentia.*

derent, & fortius instaret sacerdos, subito ille magnis vocibus lamentabiliter inclamavit. *O pœnitentia ubi es? de cetero pœnitere non valeo, hoc judicante justo Judice, quia facere pœnitentiam dum potui, nolui.* Ita infelicissimus sine resipiscencia, & testimonio dolentis animi super peccatis, æternum perit. Adeste vos hic qui cum pigro vultis, & non vultis, quando monemini de exacta conscientia cultura; quorum tota voluntas ad resipiscendum est marcida, enervis, elumbis. Mihi credite, nascentur denique nova vobis desideria, utinam nõ & fatua, quibus prior segnities vestra plectatur. Clamabitis olim & vos; *O pœnitentia, ubi es?*

C A P U T VII.

Pronuntiatur faustissima in electos sententia.

ANtequam proferamus in medium fortunatissimam illam sententiã, quã electi æterno præmio afficientur, & coronã gloriæ immarcessibili redi-

mentur, quæri hic posset, cur prius ferenda sit sententia illa optatissima in electos, quàm altera illa infaustissima in reprobos? Cur prius beati admittendi sunt in Regnum, quàm impii detrudendi ad carcerem? Spectat hoc ad Divinam Justitiam manifestandam, ut cum mali viderint bonos coronatos, non minùs de aliena gloria, quàm de sua crucientur miseria. Et hanc rationem adfert D. Bernardus: [a] *Prius benedicti vocabuntur in regnum, quàm maledicti in caminum deicientur ignis æterni: quò videlicet acrius doleant, videntes quid amiserint.* Neque solum dolebunt mali, cum beatos viderint, sed etiam cum ab illis videbuntur. Irrideri se ab illis, quos antea irriserant, iniquissimè ferent; suam miseriam videri ab illis, quibus ipsi antea suam gloriam objiciebant, ægerrimè sustinebunt: esse ludibrio, quibus antea erant spectaculo, molestissimè patientur. Ita tamen Divina Providentia disponet, ut mali

vi-

a Bern. in Psal. 90.

videant justos, & à justis videantur, quò acerbis crucientur. Sic enim Deus ad quemlibet Beatorum: [a] *Oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.* Ut cum peccatores senserint suam miseriam prodi, & Beatorum oculis ingeri, acrius torqueantur. Itaque ex comparatione cum aliena gloria, dolor de propria miseria incredibiliter augebitur. Sed modò ad beatissimam Beatis omnibus sententiam quia illi ad gloriam festinant, properemus. Singulorum causis accuratè examinatis, evictaque manifestè veritate Judex jo ad Matrem electorum omnium Reginam, deinde ad reliquos electos vultu jucundissimo, & amabilis aspectu conversus, in conspectu reprobòrum ingenti dolore animi frementium, serena facie, suavissimeque blandiente eos alloquetur, eâ voce, quæ facilè ab omnibus circum populis exaudiatur. Poterit enim efficere, ut vocis suæ sonus,

H 4

quo-

2 In Psal. 99.

quousque voluerit, pertingat, cum tubarum sonos ad imum usque tartarum, cœlumque empyreum produxerit. [a] Quod David significasse videtur; *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis*. Sed priusquam verba illa expectatissima Judicis proferamus, hîc enucleandum quo idiomate Christus sententiam tam in justos, quàm reprobos pronuntiabit, latino, an Græco, an Hebraico. Tradunt Doctores Theologi Syriacâ illum linguâ, quâ usus est, dum inter mortales ageret clarâ, sensibilibusque id voce prolaturum. Sic ergo Christus prius mente, quàm voce eos alloquetur. O electi, ego oculis misericordiæ, quam diu fui, vos aspexi, & charitate æterna dilexi, ego ex infinita mea bonitate segregavi vos à reprobis, & inter amicos, hæredes & fratres elegi. Propter vos, & vestram salutem descendi de cœlo, & incarnatus sum. Ut vos regnaretis mecum in cœlo, exulavi ego in mundo. Non mihi satis fuit vobis dedisse carnem in cibum, sanguinem in potum,

a Psal. 67. 34.

anti

animam in pretium , superest ut jam
tradam regnum meum in præmium.
Eja igitur [a] *Venite benedicti Patris
mei ; possidete paratum vobis regnum &
constitutione mundi.* Prôh Deus im-
mortalis ! quod incrementum gaudii
in corda omnium electorum infun-
det illa tam amabilis , tam beata vox ,
omnibus divitiis ac thesauris , omni-
bus hujus vitæ molestis , ærumnisque
comparanda. Vox quæ illis omnes
cæli portas patefaciet ad triumphum.
Triumphum planè admirabilem tot
amicorum Dei , tot hæredum nobilif-
simi regni , tot fortissimorum bellato-
rum , a quibus toties devictus est dæ-
mon , calcatus mundi fastus , edomi-
ta caro , contempta mors , & formi-
dabiliores morte cruciatus. *Venite de
tenebris ad lucem , de servitute ad li-
bertatem filiorum Dei , de bello ad
pacem , de morte ad vitam , de exilio
ad patriam , de carcere ad regnum , de
agone ad triumphum , de mari ad
portum , de Babylone ad Jerusalem ,
de mundo ad cœlum , de tempore ad*
& Matth. 25. æter-

æternitatem Pathetice hoc verbum
exaggerat S. Hyppolitus , Tract. de
consummatione sæculi in fine, descen-
dendo ad singulos Sanctorum ordi-
nes. *Venite*, ait , *Propheta* propter no-
men meum expulsi. *Venite Patriarcha*,
qui ante adventum meum obtemperastis
mibi , regnumque meum desiderastis.
Venite Apostoli , mearum afflictionum
participes. *Venite Martyres* qui confes-
si me coram Tyrannis tormenta multa,
atque supplicia pertulistis. *Venite Pon-
tifices* , qui purum mihi sacrificium die
noctæque obtulistis. *Venite Sancti* , qui
in montibus , speluncis , & cavernis
terra exercuisti: vos , qui per continen-
tiam , preces , & virginitatem servuistis
nomini meo. *Venite adolescentula* , qua
chalamum meum exoptastis , nec præter
me sponsum alium dilexistis. *Venite* qui
charitatem meam servastis , sicut sum e-
go charitas. *Venite socii pacis* , ego enim
sum ipse pax , Sic ipse. *Venite benedicti*.
Quantis lætitiis incedent electi , dum
audient illa verba dulciora super mel
& favum. *Venite benedicti*. Ο υ ο x ve-

re gaudii & lætitiæ , vox victoriæ & triumphii. O finis omnis desiderii. O portus bonæ spei ? Italiam, Italiam quondam clamabat Achates. At hi cœlum, cœlum clamant. *Venite, ô lætitiâ ! Benedicti ; ô sanctitatem ? Patris mei ; ô divinitatem ! Possidete, ô securitatem ! Regnum , ô majestatem ! Vobis paratum ; ô amorem ! Ab origine mundi. O vetustatem ! Quæ causa tantæ felicitatis ? [a] Esurivi enim & dedistis mihi manducare ; sitivi , & dedistis mihi bibere ; hospes eram , & collegistis me ? nudus eram , & vestistis me ; infirmus & in carcere eram , & visitastis me. O remunerationem copiosissimam pro tam exiguo beneficio ! ô beneficium immensum pro tam vili dono ! ô donum inæstimabile pro tam modico obsequio ! tum demum electis admirantibus tantæ remunerationis magnitudinem , ac simul querentibus quomodo eâ , quæ commemorata sunt præstiterint , respondebit. Amen dico vobis , quamdiu fecistis uni de his*

fra

a Matth. 25.

fratribus meis, mihi fecistis. Non est ergò contemnendus pauper, nec deferendus, ne in eo deferatur Christus. Comparentur ab aliis agri, & prædia, ædificentur villæ, construantur urbes, ut inde annui reditus referantur; alii glorientur; alii manibus laborent, alii militent, alii navigent; alii aliis artibus indulgeant, ut pecuniam acquirant: Vis tu omnibus iis minùs fatigari, & plus acquirere? Opera exerce pictatis, & misericordiæ. Modicum est quo pauper indiget, immensum est quod largienti compensatur. Hic mihi occurrit quod refertur de Cæsare, proposito nostro peropportunum. Causam dicebat apud Julium Cæsarem miles unus veteranus, & causâ premebatur. Itaque timens ne causâ caderet, quid egit? Reddidit Cæsarem memorem cujusdam beneficii, quod illi in extrema necessitate contulerat. Meministi, ait, Imperator, sub quadam arbore umbram non spargente, cum velles residere ferventissimo sole, & esset as-
per-

perrimus locus , quomodo ex commilitonibus unus, penulam suam subtraverit? Memini, ait Cæsar, & quidem fiti confectus, quia impeditus ire ad fontem proximum, non poteram, nisi commilito, homo fortis, & strenuus aquam mihi in galea attulisset. Potes ergò (ait miles) ô Imperator agnoscere illum hominem, aut illam galeam? Respondit Cæsar, non posse galeam se noscere, hominem posse; & adjecit. Tu utique ille non es. Meritò, ait alter, me non agnoscis Cæsar: nam cum hoc factum est, integer eram. Postea ad Mundam in acie oculus mihi effossus est. Nec galeam istam si videres, agnosceres: machæra enim Hispanicâ divisa est. Quæ cum audiret Cæsar, mox vetuit illi exhiberi negotium, & agellos de quibus lis erat, militi suo donavit. Longè major quàm Cæsar's in hunc suum commilitonem, erit Christi in suos amicos, qui ei obsequium aliquod præstiterunt, munificentia, & benignitas. Quandoquidem quidquid exhibe-

hibetur officii pauperi, fiat pauperum patrono Christo, poterit quivis in pauperes officiosus, & clemens dicere Christo, quod miles ille Cæsari. Meministi ô Domine, quomodo, cum sub frigido Jove, sæviente brumâ seminudus algeres, & tremulo corpore pulsares ad ostium meum, te in ædes exceperim, & nudum cooperuerim? Meministi quomodo cum inedia exhaustus, & fame pallidus frustum panis emendicares, sic esurienti mensam straverim, ibique manducaveris? Ostendet profectò se memorem esse, quando coram toto mundo tua misericordiæ opera deprædicabit dicens; *Venite benedicti. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.*

OBSERVATIO MORALIS.

Omniū mentes anhelant, omniū aures expetunt percipere ex ore Judicis illa verba. *Venite benedicti.* Quid præsidii ad percipiendam illam vocem, *Venite?* Paucis suggeram. Jam vox Christi sonat ad omnes omnium gentium

gentium homines. (a) *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ad quosdam etiam clamat, quod olim ad Petrum, & Andream. (b) *Venite post me, & faciam vos fieri pisces hominum.* Jam etiam hac hora, hoc momento, Christus clamat ad vos, *Venite ad me omnes.* Tu juris Doctor, veni ad me per meritam æquitatis, & justitiæ: tu Medice, veni ad me per opera Charitatis in ægros pauperes exhibita: tu Advocate, veni ad me per exercitia pietatis in viduas & orphanos expensa: tu Paterfamilias, veni ad me per vitæ bonæ exempla domesticis præstita. Tu Nobilis, veni ad me per eleemosynas in pauperes erogatas: tu Juvenis, veni ad me per castitatem corporis, & puritatē animi. Cur tam pauci audiunt verba Christi clamantis. *Venite ad me?* Quia mundus altiori tono clamat ex opposito. (c) *Venite, & fruamur*

I 2

mur

a *Matth. 11.* b *Matth. 4. 6.* c *Sap. 2. 6.*

mur bonis quæ sunt, & utamur creaturâ
 rã tanquam in juventute celeriter. Vino
 pretioso, & unguentis nos impleamus. Illa
 vox magis titillat aures, hinc clausæ
 sunt Christo clamanti; *Venite ad me.*
 Quisquis ergo ambit audire, *Venite*
Benedicti in die Justitiæ, audiat nunc
 vocem Christi; *Venite ad me omnes*, in
 die misericordiæ. Pulchrum est quod
 refertur de S. Aproniano: [b] hic
 cùm adhuc gentilis esset, & S. Sisinium
 è carcere educeret ut Læodicio re-
 præsentaret, vocemque è coelo fa-
 ctam audiret: *Venite benedicti patris*
mei, percipite regnum quod vobis para-
tum est à constitutione mundi: credens,
 baptizatus est, & postea in confessio-
 ne Domini finem vitæ capitali sen-
 tentiâ accepit. Utinam & nos spe au-
 diendæ illius vocis, *Venite*, conver-
 tamur à via lata, & spatiosa, ad ar-
 ctam & angustam, ut hac via venien-
 tes post Christum, audiamus à Chri-
 sto: *Venite benedicti.*

a Martyrolog. Rom. 3. Februar.

CAPUT VIII.

Fulminatur decretoria in improbos sententia.

NON sine ingenti horrore animi, ac membrorum omnium concussione, ac artuum trepidatione, accedo ad illam luctuosissimam, & omni tragædia funestio-rem Divinæ Justitiæ catastrophem, quam cum immenso quodam totius universi stupore, ac pavore in valle Josaphat Judex exhibebit. Cùm jam ab æquissimo Judice, jucundissimâ voce prolata fuerit ad electos optatissima illa sententia, qua una, mox perfruetur æterna gloria, frudentibus interim præ invidia, & livore, iracundia, & furore, desperatione & mœrore impiis, illico Judex omnes iracundiæ, furoris, indignationis, & Justitiæ vires convocabit, ut eas exerat, & simul ac semel in perduelles sibi inimicos, & capitales hostes effundat. Itaque Christus ad reprobos humiljacentes, & præ metu in solo palpitantes, iratum ac plenum in-

dignatione vultum convertet , qualem describit Isaias , qui sibi videre videbatur venientem de longinquo Dominum scintillantibus oculis , & toto ore emicantibus flammis , horribiliorem quam ut sustineri aut expectari posset , sono vocis incitato , ac frementi , utpote qui vindictam anhelat & linguam ejus quasi flammam ignis , qui cuncta populetur , & vorat. Pergit Propheta , & comparat spiritum sive halitum ex pectore ejus effusum torrenti vehementi , atque præcipiti , qui ad medium usque cololum hominum intumuit , ideoque ad resistendum impotentes secum trahit ac perdit. Denique intentaturum , ait , hostibus suis horribile brachium ad inferendam plagam , quam jam pridem fuerat comminatus , & flammam devorantem , quam ore gestare videbatur , quæ turbinis instar , aut lapidosæ grandinis , inimicos suos humi allidet , atque prosternet. Itaque severa oratione primò illorum scelera , & ingratitude sic exprobrabit.

O natio perversa, ô genimina viperarum, ô impia capita, quomodo omnium beneficiorum, totque favorum quos in vos contuli immemores, in me tam ingrati, perfidi, impii fuistis? (a) *Quid potui facere vobis, & non feci?* Propter vos, & propter vestram salutem incarnatus, vestram naturam indui, ut in ea vos perditos quærerem & servarem, famem & sitim pertuli, ut vos cœlesti cibo, & potu reficerem: laboravi & sudavi, ut ab humeris vestris molestum & grave peccatorum onus tollerem: proditus fui, ut salvarem, apprehensus, ut liberarem, vinctus, ut solverem, flagellatus, ut flagella iræ Patris mei à vobis averterem. *Quid potui facere vobis, & non feci?* Spinis aculeatis coronatus fui, ut vos cœlesti gloria coronarem, vulneratus, ut sanarē, sanguinem fudi, ut lavarem; brachia in cruce expandi, ut amplecterer; manus aperui, ut benedicerem; mortuus fui ut vitam vobis conferrem; à mor-

tuis denique resurrexi, ut certum vobis resurrectionis vestræ pignus donarem. *Quid potui facere vobis & non feci?* Ingrati extitistis passioni meæ, tormenta mea contempnistis; Sacramenta sprevistis, sanguinem meum conculcastis. Tunc detonabit in illos terribilia illa verba Ezechielis: [a] *Nunc ergò finis super te, & immittam furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominaciones tuas. Nunc de propinquo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in te &c. & scietis quia ego Dominus percussiens.* Et ne quid desit illis pœnitentiæ, doloris, indignationis, desperationis, extollet felicissimam quâ ipsi exciderunt, justorum sortem, & miserimam, quam ipsi mox subibunt conditionem, verbis illis Isaïæ. [b] *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei bibent, & vos sitietis: ecce servi mei latabuntur, & vos confundemini: ecce servi mei lau-*
da-

a Ezech. 7. 1. b Isa. 95.

dabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis. His dictis excitatus tanquam dormiens Dominus, tanquam potens, [a] *Crapulatus à vino*, ut loquitur David, evo- met totam suam rabiem, effundet omnes thesauros furoris sui, quos jam inde ab initio mundi per tot sæcula coacervavit, & sicut parturiens lo- quetur; vociferabitur & clamabit, pronuntians diremptoriam, ac ful- minatricem sententiam, ad quam tinnient ambæ aures omnium repro- borum, [b] Hæc est illa vox quam ipse Job, qui licet adversus omnia ad- versa esset rupes, horrebat, dicens: *Super hoc expavit cor meum, & emo- tum est de loco suo, audiet auditionem in terrore vocis, & sonum de ore ejus procedentem; post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ, tonabit Deus in voce sua mirabiliter.* De hac voce loquitur David. [c] *Vox toni- trui in rota.* Hæc vox instar rotæ vol-

I 5

vet

a Ps. 77. 65. b Job. 3. c Ps. 76.

vet reprobos de pœnis in pœnas, in-
star rotæ semper à furente vento agi-
tata, & hoc in sæcula sæculorum. E-
rit vox ultima Christi, sed erit vox o-
mni turbine violentior, omni tuba
clarior, omni elegia tristior, omni
rota concitator, omni fulmine terri-
bilior, omni tonitru formidabilior.
Audite, & horrete. Sed quomodo
poterit illa sententia ab homine mor-
tali enuntiari, si ad solam ejus memo-
riam sanguis congeletur, & membra
obrigescant? O cœli subsistite! ô ter-
ra concutere! ô mare expavesce!
Hic detonet aër; hic stellæ de cœlo
cadant; hic rupes, petræ, saxa, dif-
fringantur; hic herbæ, plantæ, & ar-
bores exarescant: hic ululent anima-
lia, hic rugiant leones, hic omnes crea-
turæ tristem, ac lugubrem sonum e-
dant, ac miserorum sorti ab nimis de-
plorandæ compatiantur. O vox mea
tremula, ingredi, & resona per au-
las Regum, per palatia Cæsarum, per
consistoria Cardinalium, per parla-
menta Præsidum, per curias Senato-
rum,

rum, per Acadamias Doctorum, per delubra Sacerdotum, per musæa Advocatorum, per tribunalia Judicum, per domos Mercatorum, per cubilia, Conjugatorum, per officinas Opificū ut ad sonitum hujus vocis, ipsis præ timore capilli erigantur, membra contremiscant, expallescant ora, exhorrescant animi. Sed ecce glomerat metuendos gressus per flammeas nubes Dominus exercituum, leo rugit, quis non expavescet? Aperit os suum ut tonet,] a] *Discedite à me maledicti in ignem aeternum.* Actum est, conclamatum, desperatum; quia sententia est immutabilis, decretum irrevocabile. *Discedite*, ô verbum amarum! *à me*, ô calamitas! *Maledicti*, ô infelicitas! *in ignem*, ô pœnam, *aeternum*! ô duratio! *Qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* O horror! ô dolor! ô pudor! *Discedite*, ô infelix discessio; *Maledicti*, ô dira reprobatio! *in ignem*! ô dolorem! *aeternum*, ô sæva

I 6

puni-

a Matth. 25.

punitio ! *Qui paratus est*, ô præparatio ingrata : *Diabolo* ! ô monstium ! & *angeli ejus*, ô incomparabilis afflictio ! Singula verba sententiæ hujus immensi cujusdam doloris ac pœnæ augmentum complectuntur. Nos modo dum licet, singula expendamus, ne illa aliquand inviti audiamus. *Discedite*, pœnam damni continet ; *Maledicti*, pœnam injuriarum ; *In ignem*, pœnam sensus : *æternum*, pœnam desperationis. *Qui paratus est diabolo*, pœnam aspectus dæmonum. *Et angelice ejus*, pœnam pessimæ societatis. Singula fusius exponam, vos exposita accurratè expendite. *Discedite à me*, qui Deus vester sum, primum principium, & finis vester ultimus. *Discedite* ab amicitia mea, protectione, regno, cælo, essentiæ meæ visione, & à perenni æternarum deliciarum fonte. *Discedite* à suavissimo sanctissimæ Matris meæ contubernio, ab omnibus electis, ab Angelorum Hierarchiis, ab Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus. Proh quan-

quantus est homini opulento dolor, qui plurimorum floret amicitia, si à Patriæ conspectu, à parentum complexu, ab amicorum consortio, à familiarium suavissimo contubernio, segregari, & patriam sedem cum exilio commutare cogatur. Audite quid de suo exilio scribat Æschines. (a)

Cum in mentem venit non tantum amicorum, quod istic habeo, sed & cognatorum, & concionis, & colloquiorum, quæ ibi tecum & cum Philino habuimus, sanguis omnis in alium viscerum locum refluit. Deus immortalis, si sanguis è venis in viscera illi refluerit ob exilium à Patria, segregationem ab amicis: quis dolor erit impiis à Patria cœlesti, ad quam jus habebant ratione baptismatis, idque non ad breve tempus, sed in æternum proscribi; Ah quàm multi ex iis, qui ad finitram consistent, videbunt parentes, amicos, fratres, sorores, & sibi olim familiares à dextris Judicis stare, seque ab eorum amplexu in omnem æternitatem divelli. Quàm multi

a Epist. 5.

I 7

ex

ti ex illis, qui unius, ejusdemque urbis unius domus, unius familiæ, unius professionis, quid dico? unius recti consortes extiterunt, se ab invicem separari, uno ad dextram inter electos, altero ad finistram inter reprobos manente, dolebunt! Separari ergo à conspectu Dei, est planè quæ timeri possunt terribilium omnium terribilissimum. Nam sicut ait Philosophus, *Oppositorum eadem est disciplina*; cum in cœlo, teste D. Augustino, *visio est tota merces*, erit quoque in Inferno privatio visionis, tota pœna; id est, omnium pœnarum gravissima. Ingens igitur supplicium est illud, quod Judex in hac sententia damnatis infligit. *Discedite à me*, convertamus jam sermonem ad secundum supplicium, *Maledicti*. Ex illo momento tota æternitate, omni ex parte erunt maledicti: Maledicti in anima, maledicti in corpore, maledicti in memoria, maledicti in intellectu, maledicti in voluntate, maledicti in oculis, auribus, pedibus,

dibus, manibus, odoratu, gustu, & tactu: maledicti super terram, maledicti in tempore, maledicti in æternitate. De Esau refertur, horrendum infremuit, & rugiit cum à Jacobo fratre sibi esset erepta paterna benedictio. [a] *Auditis Esau sermonibus Patris, irrugiit clamore magno, & consternatus ait, Benedic etiam & mihi pater mi.* Qualem rugitum per totum aëra emittent reprobi, cum videbunt se non tantum privari Patris sui benedictione, sed ab eodem æternum maledici, idque pro tam abjectis reculis pro momento voluptatis, pro puncto, honoris, pro aura vanitatis, pro exiguo lucello, pro siliquis porcorum, Sequitur. *In ignem aeternum.* In hoc, pœna sensus consistit. Itaque ablegabit illos vivos in ignem, non ad momentaneam exustionem, sed ad perpetuum cruciatum. Ignis enim ille ardebit sed non consumet; inflammabit, sed non in cinerem convertet, cruciabit, sed non occidet; immensum dolorem adferet, sed vitam non auferet;

feret ; non emittet splendorem , sed
 immittet horrorem ; non effundet lu-
 cem , sed caliginem ; non lucidam
 flammam , sed piceum fumum. Sed in
 immensum auget pœnam ignis , unica
 illa quæ sequitur vocula , *Æternum*.
 Hoc verbum erit verè fulmen quod
 attonabit aures , perstringet mentes ,
 tremefaciet corpus , totumque homi-
 nem inexplicabili dolore perturba-
 bit. Refert Benevenius Medicus Flo-
 rentinus quidam , quod ipse suismet
 hausit oculis. (a) Vidi ait duos ho-
 mines , Patrem & Filium , qui cum
 subito fulmine è nubibus lapso afflati
 fuissent , eorum corpora reddita sunt
 adeò attonita , & stupida , ut septem
 diebus non potuerint comedere . bi-
 bere , nec se movere. Quod si illos ita
 attonuit commune fulmen , quod
 non poterat nisi corpus lædere , vel
 occidere , quid erit perstringi illo Ju-
 dicis fulmine , quod & corpus , & a-
 nimam mittet in gehennam ignis ?
 Tandem colophon omnium pœna-
 rum

a Cap. 15. de abderis.

rum erit, infausta, tristis, horrida societas dæmonum. *Qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Deus bone, quis horror, quis terror, quis metus erit perpetuò degere, ac conversari inter tam terribiles spirituum larvas; aspiceretam horrenda monstra ante oculos semper obversantia. Si magnum nobis terrorem incutit umbra defuncti alicujus apparens, ideoque formidamus nocturno illo in tenebrarum horrore sepulchra, & cœmeteria pertransire, aut cubiculum in quo defuncti alicujus cadaver jacet, sine lumine ingredi, ne forsan à spiritu ejus terreamur, si verò contingat cadaver vel minimum se movere, congeletur præ metu sanguis, vox faucibus hæreat, pili in vertice erigantur præ trepidatione: quis terror, quis tremor ille erit damnatis, cum undique in illa spissa horribilium tenebrarum caligine, qua involvuntur, innumera multitudine malignorum spirituum, larvarum turpissimarum, atque horribilium dæmonum, assumptis

sumptis vel ex aëre , vel ex illa orci caligine , vel aliunde corporibus , varias formas induentium , ac sua monstrositate terrentium , circumdatos se esse conspexerint ! Pronunciata hâc infautissima sententiâ , ut videbunt miseri spem omnem sibi ereptam ullius vel minimi solatii , æternumque de sua salute desperatum ; tunc ipsi horrendis ululatibus , ac boatu terribili cælum , terramque replebunt. Tunc ponent in cœlum os suum , & immanes blasphemias in Deum evoment. Tunc maledicent diei , & horæ quâ nati sunt , parentibus qui eos genuerunt , uberibus quæ eos lactaverunt , aëri quo spirarunt , terræ quam calcaverunt , & videntes se tota æternitate fore miseros , omni jam spe destituti , tanquam furentes leones irrugient horrendum , ut rabidi canes ululabunt ut , desperati totos se dedent lachrymis , & lamentis , atque oculis in cœlum , terramque , & omnes mundi partes circumjectis , exclamabunt. O cæli nobiscum plorate , & sempiternos

nos gemitus nostros sociate ! ô elementa ! nostrarum miseriarum commiseratione tangimini ? ô ignis combure ! ô aqua submerge ! ô terra absorbe nos , ita ut prorsus enecemur , conteramur , atque in nihilum redigamur ! ô montes , & colles cadite super nos , necem nobis inferte atque sub vestris ruinis æternum sepelite. Hæc omnia , & his infinities graviora venient super vos , nisi pœnitentiam egeritis.

OBSERVATIO MORALIS.

Utinam vos Judices dum jam è tribunali estis prolaturi in reos sententiam , vos Advocati , dum jam in foro dirimitis pupilli aut orphanilitem , vos nobiles , dum ob minimam injuriam descenditis in arenam certaturi duello , vos juvenes dum noctu in cubilibus consensuritiuillatione carnis , peccare decernitis , utinam tum mentibus vestris occurrerent , auribus insonarent illa terrificaverba. *Discedite à me. Discedite,*

dite, ah dum cogito, exalbesco. *A me*, palleſco, *Maledicti*, horrent comæ. *In ignem æternum*, voce deſtituor. *Qui paratus eſt*, contremiſco. *Diabolo*, palpitat cor. Et *Angelis ejus*, præ metu ac formidine emorior. Verè [a] *Horrendum eſt*, incidere in manus Dei *ventis*.

CAPUT IX.

Utriusque ſententiæ executio, & omnis temporis conſummatio.

POſt citationem cunctorum, & citationum congregationem, poſt diſceptationem accuratam, & diſcuſſionem exactam omnium meritorum, poſt prolatam ſententiã juxta cujuſque merita, jam unum tantum ſuper eſt, ipſa utriusque ſententiæ executio. Non enim exiſtimandum eſt, quod in illa ſummi Regis curia fiat, ſicut in quibuſdam Conciliorum aut Principum curiis: in quibus aut veritas cauſæ non inquiritur, aut inquit

ſita

a *Hebr. 10. 31.*

fita tacetur, aut sub pecuniæ acervo sepelitur, aut sententia non proferatur, aut saltem Judicibus auro corruptis in tempus diuturnum differtur. Sed latâ sententiâ statim fiet executio: nam cum Judex sit omnipotens, sermo ejus efficax; non est, qui ei vel se opponendo resistat, vel loquendo contradicat. Unde dicitur à Matthæo. Statim ut utramque sententiam Judex pronuntiaverit: [a] *Et hi ibunt in supplicium, &c.* Sententia verò executioni mandabitur eo modo atque ordine, quo fuerit pronuntiata, id est sicut prius dicit Christus ad electos, *Venite*, quam ad reprobos, *Discedite*, ita prius electi admittentur in gaudium Domini, quàm reprobi rapiantur ad pœnas tartari. Ut impleatur Psalmographi, [b] *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet, desiderium peccatorum peribit.* Proh Deus immortalis, qualis erit illa pompa; quod spectaculum, quando tot cæli

Prin-

a *Matth. 25.* b *Psal. 111. 10.*

Principes , tot filii Dei cum Rege suo triumphantes per aëra efferentur in curru aureo , in veste regia , in dotibus gloriosi corporis , in splendore mirabili , pulchritudine insatiabili , lætitia infinita. Quàm decoræ manus , victrices palmas circumferentes , & laureas immortali viriditate rutilantes. Quàm illustre caput cinctum corona mille carbunculis , & pyropis latè fulgurante ! Auribus autem quid potest jucundius accidere , illa harmonia , quæ ex novem choris musico- rum cœlestium efflorescet , canticum illud Apocalypiticum læta voce integrantium ; [a] *Benedictio & claritas , & sapientia , & gratiarum actio , honor & virtus & fortitudo Deo nostro in secula seculorum , Amen.* Quibus homines vicissim respondebunt : *Redemisti nos Deo in sanguine tuo , ex omni tribu , & lingua , & populo , & natione , & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes , & regnabimus super terram.* Proh qualis hic ascensus !
qui

qui cursus ! qui clamores ! quæ collo-
quia ! quæ congratulationes ! quæ
Angelorum , & hominum acclama-
tiones ! qui virginum lætissimus af-
pectus ! qui Vatum & Patriarcharum
intuitus ! qui ingressus ! qui cœlestium
Spirituum plausus ! quam latè patens
civitas ! quæ beatæ sedes ! quæ secreta
& clara domicilia ! quam tranquil-
la possessio ! quæ secretorum com-
municatio ! quæ gratia nunquam
peritura ? quæ visio ! quæ voluptas !
quæ gloria semper & in æternum , &
in sæculum sæculi , & ultra permanfu-
ra ! Hic erit lætissimæ , quam divina
Misericordia peraget , comedix epi-
logus. Clamat jam Divina Miseri-
cordia , claudite cortinas , scena per-
acta mea est. Mox Divina Justitia
flammeo vultu terribilis , tragœdiæ
sux catastrophem peractura , acce-
det ad reprobos. Quando jam vi-
debunt illi intrasse electos cœlum ,
clausam ejus januam , accurrentes
dæmones , terram paulatim disce-
dere ; Proh quis tunc erit planctus ,
quis

quis clamor, quis flebilis ululatus inter illos audietur: quàm miserabile spectaculum illud erit, cùm & pectora pugnis, & ora unguibus fœdantes incedent? laniabunt capillos, percutient fœmora, complodent palmas, compriment digitos, totis artubus contremiscent, omnibus membris trepidabunt: alii in terram proni corruent, alii horrore attoniti rigeunt; alii lymphatico pavore acti, huc illuc velut amentes discurrent, ora pallor, corda dolor, mentem stupor, membra tremor, languorque occupabunt; atque interea incessabilis immugiet gemitus, personabit planctus, obstrepet ejulantium nunquam mœstior auditus clamor. Ad hæc etiam justorum gloriam videntes, turbabuntur timore horribili, stupebunt, ac dicent: [a] *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore:*

2 Sap. 5.

nore : *Ecce quomodo comparati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos fors illorum est.* At nos ubi decidimus? Quò perduxêre nos concupiscentiæ nostræ, delitiæ molles? lauta convivia? obscœnæ libidines, avaræ opes, blandi sopores, ignava otia, joci, risus, luxus, luxuria, voluptas? Illa o-ciiissimè desiêre, & successit nunquam desitura calamitas, cur concepti fuimus? Aut cur conceptos non est abortiva mater, vel cur non statim natos abolevit mors? vel adultos oppressit valetudo, vel dispoliavit, & in servitutem captivos abduxit hostis? O quam brevi labore, quam magnam potuimus adipisci beatitudinem? Et ecce pro quam modica voluptate in quam immensas incidimus ærumnas. Hic iis miserè lamentantibus, aderit repentiè ignis ille, qui mira celeritate mundo intulerat vastitatem, qui promoto usque ad damnatam turbam incendio, in eam furibundus involabit, & undique circumplectetur, jux-

ta illud: (a) *Ignis ante ipsum pracedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Tum repente terra latissimo hiatu ad inferos usque sub pedibus eorum sese aperiet, & dissiliet, sive uno in loco, sive quod credibilius est, in pluribus; statimque infelix hæc turba, flammis dæmonibusque insultantibus circumfusa, præcipiti ruina devolvetur simul in tartarum cum iis sordibus, quæ ex mundi deflagratione reliquæ erunt. Qui tum excitabuntur fragores? quam insani tumultus? quam horrendi clamores ex crepitantibus flammis, undique à disrupta multis in locis tellure, maximèque à confusa vociferatione pereuntium, qui cum dæmonibus confusi clamores edent, atque ululatus, quibus tanquam ab ingenti tonitru cælum ipsum tellusque circumsonabunt. Porro Divina virtute fiet, ut brevi tempore ad terminum perveniant: alioquin facilè quatuor, aut quinque horis opus esset, ut naturali pondere tan-

a *Psal. 96. 3.*

tantum spatium absolvant, quod putatur esse minimè mille leucarum. Simul atque ad terminum pervenerint, terra firmissimè se claudet, & in omnem æternitatem clausa manebit, ita ut nullus damnatorum posset unquam exire, vel ad supera emergere. Itaque terra omnium reproborum colluvione devorata, totoque illo incendio, quod sola terrarum vastaverat, unam in faciem coibit, qualem ante istam discessionem ostentabat, & undique portas æterni illius carceris obserabit feris, vectibusque adamantinis, ne quando illi cœlum, ejusque lumen videre possint, aut portam aliquam patentem viderent, spem aliquam possent concipere libertatis, aut misericordiæ, si fortè horrendi eorum clamores ad Beatorum usque aures pertingere posse putarentur.

OBSERVATIO MORALIS.

Hic finis erit omnis temporis, & initium æternitatis, nunquam terminandæ. Ut nos igitur cum fine mundi, finem imponamus huic funestissimo argumento, adfero hic quæ in Concione de Judiciis die aliquando è pulpito dixit disertissimus ille juxta ac piissimus Divini verbi in Hispania præco Ludovicus Granatensis: qui disertis verbis assererat, certissimum signum esse reprobationis non commoveri ad virtutem, vel amoveri à peccato, ultimi judicii commemoratione. (a) *Si quis, ait, ad hæc ipsa quæ dicimus (nimirum de die Judiciis) torpet ac languet, nihiloque magis afficitur, quàm si hæc omnia ad illum minimè pertinerent, vehementissimum hoc cecitatis, obdurationis, & reprobationis argumentum est. Quod quidem vel ex eo, ait, perspicitur potest, quod modo dum hæc ipsa tractamus, religiosa & pia mentes, quæ nos morte dignum ad-*

mi-

2. Con. 1. Dom. 2. Advênt.

miserunt, trepidant, stupevt, pallent,
obmutescunt: perditì verò homines, &
omni scelere contaminati, quorum ca-
pitibus hæc tantorum malorum tempe-
stas incumbit, non modò siccis oculis, sed
lapideis etiam cordibus, hæc ipsa quæ
dicimus, audiunt. Sic ipse. Quid enim
potest horribilius ab homine timeri,
quid terribilius ab Angelo fingi, quàm
excipere auribus illud formida-
bile tonitru: *Discedite
à me maledicti.*

